GVLIELMI CANTE-
RI VLTRAIE-
CTINI

NOVARVM LE-
CTIONVM LIBRI
SEPTEM:

In quibus, præter uariorum autorum, tam Græcorum quàm Latinorum, explicationes & emendationes: Athenæi, Agellij, & aliorum fragmenta quædam in lucem proferuntur.

Acceßit rerum & uerborum in his memorabilium, item Scriptorum, quorum loci explicantur, emendantur, uel augentur, geminus

INDEX.

EDITIO SECVNDA, TRIbus libris aucta.

BASILEAE, PER [redacted].

ΠΡΟΣ ΤΟΥΣ ΝΕΟΥΣ.

Τόνδε, νέοι, χλοερὸν χερσὶν σφετέρῃσι δέχεσθε,
ὅνπερ ἐμὴ μουσῶν καρπὸν ἄρουρα φέρει.
καὶ δέ τις ἐκ πάντων οἶος μέγ᾽ ὑπείροχός ἐστι,
τοῦτο φρεσὶ κεύθειν χρὴ μενοεικὲς ἔπος·
ὡς τάδε τὸ πρῶτον τετυπωμένα φωτὸς ἔκυρσεν,
καὶ τόθ᾽ ὑπηνήτης εἰκοσικαιδιέτης.

Doctiſsimo uiro

CAROLO SIGONIO

G. CANTERVS

S. D.

QVAM rectè dictum ſit à poeta prudentiſsimo, poſteriores curas plus habere ſapientiæ; cùm in alijs perſępe, doctiſsime Sigoni, tũ in meipſo nuper nõ obſcuris indicijs deprehendi. Anni plus minus duo ſunt, cum Nouarum Lectionum libros quatuor, temerè fortaſſe, non tamen citra quorundam applauſum (ſi licet uerum dicere) primũ edidimus ea cura atq; diligentia, nihil ut putaremus aliud poſſe magnopere requiri. quod quidem tum iudicium noſtrum amicorum non indoctorum confirmabat aſſenſus. Verùm quid accidit? Paucis poſt menſibus omnia ſub incudem acerrimam reuoco, neq; quicquam nõ diſcuſſum relinquo: &

quoniam nonnihil ſuppetebat ocij, eiuſdem generis inuenta plura compono: itaq; meum fetum educo & augeo, ut planè alium, atq; adeò nouum uidere uidear. Quæ etiam res in cauſa præcipuè fuit, ut operi tanquã recẽti, patronum alterũ, ac locupletiori quaſi pupillo potentiorem quodam modo tutorem quærendum, eosq́;, quibus officium eſt moleſtum, exautorãdos putarem. Qua in re ſi non ſatis ad excuſandũ ualebit res potentiſsima, conſuetudo: illud ſi addidero, nihil me habere propoſitum aliud, niſi ut beneuolentiam & amorem hac ratione comparem: ueniam ſaltem, credo, merebor. Cur autem ad te potiſsimũ duxerim ueniendum, doctiſsime Sigoni, non paucas poſſum, nec exiguas cauſas dicere. Si quis enim eſt, cuius eruditionem atq; doctrinam liceat admirari: tuam omnes multiplicem & abſolutam iure ſuſpiciunt: quippe quem non Italia modò omnis, uerùm

tota

tota ferè Europa, propè tanquam numen aliquod eam ob rem colat. Si cuius deinde humanitatem prędicare libeat, tua tanquam ſingularis, erga literatos & literarũ amantes præſertim, omnibus iampridem ubiq; in ore uerſatur. Si quem deniq; optimarum artium tanquam creditorem optimè meritũ ſtatuere debeamus, quis tibi præferri rectè poſsit, non uideo: qui ſic eas & uoce quotidie & ſcriptis exornes atq; expolias, ut iam nihil ad ſummam perfectionem deeſſe uideatur. Quas ob res omnes libenter te operis huius defenſionem contra maleuolos ſuſcepturũ: & quod potes facillimè, facturum non grauatim confido: atq; adeò, ne id facere graueris, etiam atq; etiam te rogo.

Vale.

LECTORI STVDIOSO
GVLIELMVS CANTERVS S. D.

EA ferè fuit, ſtudioſe lector, quo tempore ſimul cum exorta typographia renatæ ſunt literæ, quorundã hominũ in deſcribẽdis & excudendis libris, qui ſæculis multis miſerè in tenebris delituerant, partim inſcientia, partim arrogãtia, ut & ea quæ non poterant oculis caligantibus aſſequi, quouis modo proderent: & quæ propter antiquitatis ignorationem non intellexerant, audaciſsimè & ineptiſsimè deformarent: ac reiectis antiquæ ſcripturæ ueſtigijs, ſomnia nobis uaniſsima proponerent. quod ubi ſemel ij cœperant, ita pertinaciter idem urgebant inſtitutum, quaſi non alia re præclarius de humano genere, deq; literis omnibus mereri poſſent. Quo factum eſt, ut multis inquinati mendis autores optimi primùm in lucem prodierint, etiam ſæpe mutili atq; manci, nec rarò aliena atq; afficta pro ſuis & genuinis lectori obtrudentes. quod erat eo grauius malum, quo pluribus exemplis auctæ maculæ, & per orbẽ totum diſperſæ, nec nõ in alias editiones quaſi per manus deinceps traditæ, omnium ferè ocu-

los

los atq; ora ſuis inficiebant contagijs. Veruntamẽ, ut eſt ueritas temporis filia, nimis diu res hæc latere non potuit, quin aliqui tandem elegantioris ingenij uiri fucũ tam pernicioſum ſentirent, & è communi rerum præclariſsimarum ignoratione uelut emergerent. Quare quod proximum uidebatur in tanta perturbatione auxilium, id arripuerunt auidè, nec fecère negligenter, ut ſcriptos libros, qui iam ferè omnium erãt manibus excuſsi, tanquam oracula conſulerent: & ex eorum comparatione, quæ alios latuerant, re diligentiùs perpenſa eruerẽt: ac partim, & quidem fermè ſemper, antiquam ſcripturam, quæ aliorum fugerat oculos, & corruptelæ occaſionem dederat, fideliter reſtituerent: partim etiam, cum nihil erat in antiquis codicibus præſidij (nam & illi nonnunquam fuerant non ſatis diligenter ſcripti) ſi quid ex ingenio, longaq; obſeruatione, ac diligenti bonorum autorum lectione conferre poterant, id non omitterent. quæ res quantũ lucis ad intelligenda clarorũ uirorũ ſcripta protulerit, uix eſt ut quiſquã ſe putet dicendo poſſe exprimere, præſertim cũ hoc illorum ſtudio maxima cum utilitate quotidie cuncti fruamur. Atq; hanc operam illorum alij ſingulos in libros cõtulerunt, quos à ſe totos emendari, perpoliri, & antiquæ re

ſtitui integritati poſſe credebant: alij, quæ uarijs in autoribus annotarant atque emendarant, in unum omnia locum collecta, iucundiſsimaque uarietate diſtincta ſic in publicũ emiſerunt, ut auidiſsimè fuerint ab omnibus arrepta. In his fuere noſtra memoria, ne cũctis recenſendis fiam lõgior, apud Italos P. Victorius & F. Robertellus: apud Gallos M. A. Muretus & A. Turnebus: apud Belgas noſtros P. Nannius & A. Iunius. Neque uerò mirum ſit, hoc ſcribendi genus permultos exercuiſſe, quod præter uſum ſingularem non iniucundam tam ſcriptionem quàm lectionẽ habeat. Etenim quæ rebus in omnibus eſt iucunda uarietas, ea ſcriptionis hoc genus multo ceteris ſuauius apud omnes efficit, cum de uarijs quaſi floribus lepidiſsimũ texitur ſertum, uereque durabilis corona. Atque horum nos, hominum, profectò ſummorum & perfectiſsimorum ſecuti, quatenus licuit, ueſtigia, quid in eadem re noſtri poſſent ingenioli uires, tentare uoluimus: ac partim libris antiquis diligenter cũ recentibus collatis, partim coniecturis uſi ut non ſemper ueracibus, ita ſaltẽ plerunque uериſimilibus: aliquid in medium proferre, quod ad autores optimos tũ Græcos tum Latinos illuſtrandos faceret, ſtuduimus. Neque enim illorum ſequor ſententiam,

tiam, qui Latina omnia perſcrutanda, Græcum nihil attingendum cenſent: quaſi uel Græci codices nuſquam ſint corrupti, uel, ut ſint, ea res parũ nos mouere debeat: nec ea ſit Græcarum literarũ utilitas, quam pauci crediderint. Nos uerò tanti Græcas literas facimus, nihil ut habeamus antiquius, (quod aliorum pace dictum ſit) nec elegantius, nec doctius: atq; adeò per totũ hoc opuſculum operam dedimus, ut alternis capitibus aliquid nunc in Græco, nunc in Latino ſcriptore uel explicaretur à nobis, uel emendaretur. Atq; utinam paulo plures hoc ſtudij genus omni proſequerentur ſtudio, doctiſsimaq; Græcorũ monumenta cum Horatio uerſarent, quàm adhuc factum eſt, alacrius ac diligentius. Sed ut eò redeã, quod coniecturas alicubi me atq; diuinationes aſperſiſſe quaſdam dicebam, ea res mihi nequaquam uitio uerti, ni fallor, debet. Nam ſiue quis omnino neget ingenio quicquam in talibus eſſe concedendum, eius mirabor ſeueritatem, qui nullum tam felix habeat ingenium, ut id ueritatem aliquando poſsit diuinando aſſequi: nec intelligat fieri ſæpe, ut quædam aliorum coniecturæ olim editę, poſterioribus temporibus ab antiquis codicibus confirmentur: id quod & alijs crebrò, & mihi non ſemel accidit. Nam exem-

plis in re manifeſta lectores morari nolo. Huc accedit, quòd uel hunc habent iſtę coniecturæ uſum, ut alios ad meliora, ſi fortè reperta non placent, inuenienda commoueant, & quaſi lampadem tradant, cum præſertim nullius in his caput agatur, aut fortuna: neq; quiſquã ignoret, quo loco ſint hæc habenda, quantumq; ualeant. Nam eorum quidem audaciã, qui, reiecta ſcriptura antiqua, ſua uel aliena ſubſtituunt inuenta, temerariam & propemodum impiam iudico. Siue quis igitur omnino cõiecturis indulgendum neget, his excipietur rationibus: ſiue eas non à quibuſuis, uerũ à doctiſsimis tantum recipiendas credat, Horatij de olitore dictum primum adferam: deinde mea non omnia, quædam etiam Ioannis Aurati eſſe dicam, præceptoris quondam noſtri, quem ut omnes pro doctiſsimo habent uiro, ita quoniam ipſe tantã in docendis alijs ponit operam, ut ſcriptioni uacare non poſsit, nobis tanquam pueris à manu non dedignatur uti: quæq; nobiſcum olim communicauit, ſic unà cum noſtris edi uoluit. Et quanquã non eſt eadem omnium fecunditas, platanum tamen facile ſit effugere, niſi quam ſui ſingulis mores faciunt. alioqui multos de partis tuendis, quàm de nouis parandis laborare iuſtius, ignorat nemo. Sed iſta ſanè

præſtat

præſtat ἰσχογραϕίζειν cum Gręcis, & ad reliqua pergere. Mirantur enim permulti, cur fiat, ut in hoc ſcripti genere nonnulli nonnunquã diuerſis in locis eadem tradant, atq; ita inter ſe cõcinant, quaſi alteri ſit alter, quod pro ſuo proderet, ſuffuratus. Sed ea res profectò nemini debet uicio dari, ſi qua in re idem cum alio ſentiat: uerùm id ueritatem potius confirmare, poſtq̃uam idem locus eodẽ à uarijs modo tractatur, uideri poſsit. Quoniam enim fieri facilè poteſt, ut multis idem, præcipuè quod uerum ſit, in mentem ueniat, nec omnes omnium poſſunt ſcripta legere: mirari nemo debet, ſi eadem aliquando multi pro ſuis iure proferunt. Quapropter ego quoq; ſuſpicionem aliorum deprecor, ſi quid in meis contingat mihi ſimile: quod facilè credo fore. iam enim alicubi contigiſſe animaduerti: atq; ea ferè omnia in hac editione ſecunda ſuſtuli. quam quidem eo gratiorẽ, quàm prima fuit (ſi modò fuit) futuram ſpero, quòd præter trium librorum additamentum, non pauca ſunt etiam in prioribus addita, demta, mutata, ſicut fieri ſolet, cum quem profectus ſui nõ pœnitet: ſic ut Nouas Lectiones, quas uocamus, iam planè pro nouis in manus hominũ uenturas confidã. Etenim, ſi hoc quoq; dicendũ eſt, quemadmodũ in talibus opuſculis totidem

ſer

ferè titulos atq; indices, quot ſcriptores, reperias: ita nobis quoq; exiſtimauimus licere, quod uideretur, commentariolis noſtris nomen indere. Itaq; quas alij Antiquas Lectiones, eas nos Nouas appellauimus: non tam rei ueritatem, niſi fallor, quàm hominum ſecuti iudicium, quorum pleriſq; nouæ, quas proferimus, & inſolitæ uidebuntur locorum nonnullorum lectiones, tametſi permultæ longè ſint antiquiſsimæ, & antiquiſsimis ex libris depromtæ. Supereſt, amice lector, te ut orem atq; obſecrem, ut quo tui ſtudio hęc à nobis elucubrata uides, ea uiciſsim erga nos beneuolentia hæc accipias: & in iſtis quæ te uel iuuare poſsint, uel delectare, ijs non oſcitanter ad commodum tuũ fruaris: quæ minus placeant aut proſint, rudioribus alijs, aut etiam doctioribus relinquas. Vale, & fruere.

INDEX EORVM, QVAE SINgulis libris per Capita tractantur.

LIBER PRIMVS.

Originis Troianæ ratio accuratè atq; emendatè tradita. Cap.1
Pompeij locus reſtitutus. Cap.2
Oraculum Sibyllæ explicatum. Cap.3
Ciceronis locus emendatus. Cap.4
Aeſchyli locus explicatus, eiusq; uulgata lectio defenſa. Cap.5
Arnobij loca duo ab eadẽ labe uindicata. Cap.6
Menda quædam è Q. Calabro ſublata. Cap.7
Apud uarios autores in eodem uocabulo cõmiſsi errores, oſtenſi. Cap.8
Euripidis uerſus aliquot reſtituti. Cap.9
Elegans uocabuli Aliter uſus explicatus. Cap.10
Muſæi locus emendatus. Cap.11
Ibyci hiſtoria expoſita, et Statij de ea locus emaculatus. Cap.12
E Xenophonte errata duo ſublata. Cap.13
Ciceronis locus explicatus, eiusq; uulgata lectio defenſa. Cap.14
Epimenidis uerſio correcta. Cap.15
Varronis loca duo illuſtrata. Cap.16
Euripides in Andromacha reſtitutus. Cap.17
Virgilij locus, & alter Tibulli declaratus. Cap.18
Theocriti Ara expoſita & emendata. Cap.19

Transfor-

Transformationum Ouidij ſeries compendio excerpta. Cap.20

LIBER SECVNDVS.

Simonidis epigramma tribus in locis,& alterum Antipatri correctum. Cap.1
Elegans uocabuli Poſſum uſus explicatus. Cap.2
Orphei uerſus,qui hactenus deſiderabantur,editi. Cap.3
Ciceronis lex emendata. Cap.4
Ambiguus Xenophontis locus excuſſus. Cap.5
Agellij capita duo magna parte aucta. Cap.6
In Euripide nonnulla declarata. Cap.7
Aliquot è Statio menda ſublata. Cap.8
Troili hiſtoria expoſita; ac Tzetzis de ea locus emaculatus. Cap.9
Ceſelliana Virgilij interpretatio contra Sulpitium defenſa. Cap.10
Theocriti uerſus reſtitutus. Cap.11
Curioſitatis uiciũ à poetis trib. luculẽter notatũ. Cap.12
Anacreon correctus. Cap.13
Propertij carmina duo caſtigata. Cap.14
Prouerbium Græcum expoſitum. Cap.15
Horatij commentaria reſtituta. Cap.16
Euripides in Supplicibus caſtigatus. Cap.17
Ciceronis locus expoſitus & emendatus. Cap.18
Aeſchylus notatus. Cap.19
Plauti prologi duo caſtigati. Cap.20

LIBER TERTIVS.

Heliodorus auctus. Cap.1

Ex Lu-

Ex Lucano menda quædam ſublata. Cap.2
Euripidis locus unus,& itē alter reſtitutus. Cap.3
Horatij uerſus aliquot aſſerti. Cap.4
Theocriti carmina duo: alterum expoſitum, alterum caſtigatum. Cap.5
Iuuenalis quædam partim aucta, partim correcta. Cap.6
Mureti emendatio confirmata. Cap.7
Plautinum uocabulum cum emendatione repoſitum. Cap.8
Aeſchyli loca duo cum Latinis collata. Cap.9
Feſti locus emendatus. Cap.10
Athenæi defectus inſignis ſuppletus. Cap.11

LIBER QVARTVS.

Euripidis uerſus aliquot caſtigati. Cap.1
Horatij odæ duæ emendatæ: Catulli etiam, Virgilij, & Iuuenalis locus unus. Cap.2
Heſiodi difficile carmen illuſtratum. Cap.3
Tibulli locus explicatus, eiuſq; uulgata lectio defenſa. Cap.4
Aliquot ex Athenæo menda ſublata. Cap.5
Plauti mutilum carmen reſtitutum. Cap.6
Plutarchi dictionis origo demonſtrata. Cap.7
Propertij locus emendatus. Cap.8
Diodorus Siculus duobus in locis correctus. Ca. 9
Feſtus notatus, Plautus expoſitus. Cap.10
Euripidis locus emēdatus, et alter explicatus. C.11
Horatij ſermones caſtigati. Cap.12.
Apollodori locus reſtitutus, et uerſio correcta. C.13

Duo in

Duo in Cicerone reſtituta uocabula. Cap.14
Theocriti locus illuſtratus, & alter caſtigatus. Cap.15
Tibulli carmina duo emendata. Cap.16
Athenæi locus reſtitutus, & uerſio cuiuſdam correcta. Cap.17
Camerarÿ emendatio quædã confirmata, alia reiecta. Plautus et Ariſtophanes emendati. C.18
Euripidis chori duo emaculati. Cap.19
Horatÿ difficile carmen illuſtratum. Cap.20
Heſiodi uerſus loco ſuo repoſitus, & alter caſtigatus. Cap.21
Ambiguus Catulli locus excuſſus. Cap.22
Callimachi uerſus duo reſtituti. Cap.23
Terentÿ quædam tranſpoſita. Cap.24
Plutarchi loca duo reſtituta. Cap.25
Obſcurum Propertÿ uocabulum declaratum. Cap.26
Sapphonis carmen expoſitũ, & alterum Philodemi correctum. Cap.27
Græcum in Feſto Pompeio uerbum repoſitum, & Latinum alterum emendatum. Cap.28
Euripidis duo uerſus caſtigati. Cap.29
Horatÿ locus explicatus. Cap.30

LIBER QVINTVS.

Euripidis uerſus aliquot caſtigati. Cap.1
Tertulliani locus difficilis illuſtratus. Cap.2
Ariſtophanis loca duo ab eodem mendo uindicata. Cap.3

Tragicorum

Tragicorum trium fabulæ in hiſtoricum ordinem redactæ. Cap.4
Orphei uerſus duo reſtituti. Cap.5
Horatij locus explicatus, eiusq́ uulgata lectio defenſa. Cap.6
Anacreontis carmen expoſitum, & alterum correctum. Cap.7
Ex Ammiano mendæ duæ ſublatæ. Cap.8
Solonis uerſus, ad quos Plutarchus alluſit, prolati. Cap.9
Ciceronis locus emendatus. Cap.10
Ex Euripidis Ione uerſus aliquot caſtigati. Cap.11
Horatij odæ duæ ex antiquis codicibus correctæ. Cap.12
Quid ἔως *ac* σφέτερος *ſæpe ſignificent, declaratum.* Cap.13
Homerus ab Ariſtotelis reprehenſione defenſus. Cap.14
Platonis in Gorgia locus caſtigatus. Cap.15
Propertij carmina duo reſtituta. Cap.16
Oracula duo Sibyllina correcta. Cap.17
Quid ſit apud Ciceronem Leonaticum delubrum, explicatum. Cap.18
Euripidis locus, & alter Plutarchi, ac tertius Pollucis emendatus. Cap.19
Horatij epodi duæ ex antiquis codicibus reſtitutæ. Cap.20
Duo de teſſeris loca declarata. Cap.21
Aliquot è Non. Marcello menda ſublata. Cap.22

Heſiodi carmen emendatum. Cap.23
Auſonij quædam reſtituta. Cap.24
Euripidis loci duo, Sophoclis unus caſtigatus. (Cap.25
Varro correctus. Cap.26
Pindari Plutarchiq́ loca correcta. Cap.27
Ciceronis locus, & alter Diod. Siculi emendatus. Cap.28
Euripides in Cyclope & Heraclidis emaculatus. Cap.29
Propertij & Catulli quædã tranſpoſita. Cap.30

LIBER SEXTVS.

Pauſanias duobus in locis correctus. Cap.1
Muliebris libidinis ſimul & crudelitatis exẽpla quinq; inſignia. Cap.2
E' Bacchis Euripidis uerſus aliquot caſtigati. Cap.3
Quid apud Horatium diludia ſignificent, declaratum. Cap.4
Seruianæ emendationis ſpecimen editum. Cap.5
Duo Varronis loca reſtituta. Cap.6
Ariſtophanis in θεσμοφοριαζούσαις, *& alter in Concionatricibus correctus locus.* Cap.7
Virgilius emendatus. Cap.8
Plutarchi loca duo ab eodem mendo uindicata. Cap.9
Ciceronis in Catone locus caſtigatus. Cap.10
Mendum quoddam è Platone ſublatum. Cap.11
Horatij carmen, & alterum Propertij expoſitum. Cap.12

Euripidis uerſus difficillimus correctus. Cap.13
Aliquot Horatij odæ ex antiquis codicibus reſtitutæ. Cap.14
Athenæi locus, & alter Ariſtidis illuſtratus. Cap.15
Viperæ etymon explicatum. Cap.16
Lycophronis fragmenta in unũ collecta. Cap.17
Lacydis hiſtoria lepidiſſima breuiter expoſita. Cap.18
Duo Euripidis loca caſtigata. Cap.19
Tibulli carmen emaculatum, & alterum Propertij declaratum. Cap.20
E Tryphiodoro mendæ ſublatæ. Cap.21
Ciceronis locus, & alter Martialis emendatus. Cap.22
Ex Euripidis Iphigenia uerſus aliquot caſtigati. Cap.23
Plautinum carmen correctum. Cap.24
Antiquum oſculandi genus enucleatum. Cap.25
Græcum carmen, quo Tiberius eſt uſus, diuinatum. Cap.26
Euripidis locus emendatus. Cap.27
Virgilij carmen emaculatum, & alterum explicatum. Cap.28
Euripidis Helena, & alter Heraclidis uerſus caſtigatus. Cap.29
Horatij locus reſtitutus. Cap.30

LIBER SEPTIMVS.

E M. Antonino mendæ duæ ſublatæ. Cap.1

Plauti quædam tranſpoſita. Cap.2
Euripidis duo uerſus caſtigati. Cap.3
Athenienſium magnanimitas, & Ciceronis memoriæ lapſus declaratus. Cap.4
Elegans uerborum, ἤ τις ἢ οὐδεὶς, uſus explicatus. Cap.5
Circa Veſtales obſeruati ritus origo tradita. Cap.6
Plutarchi locus, & alter Diod. Siculi correctus. Cap.7
Antiquum in Horatio uocabulum reſtitutum. Cap.8
Platonis locus emendatus. Cap.9
Alienus è Plauto uerſus eiectus. Cap.10
Sophoclis chorus emaculatus. Cap.11
Aliquot è Terentio menda ſublata. Cap.12
Euripidis aliquot loci expoſiti. Cap.13
Ciceronis in Lælio locus caſtigatus. Cap.14
Thucydides emendatus & expoſitus. Cap.15
Plauti locus expoſitus & emendatus. Cap.16
Heſiodus & Homerus ab eodem repurgati uitio. Cap.17
Virgiliani carminis duplex reſtitutio propoſita. Cap.18
Mendum è Xenophonte ſublatum. Cap.19
Perſij loca duo reſtituta. Cap.20
Fabularum quarundam binominum ratio tradita: Pollux correctus. Cap.21
Cur Plautus latrans nomẽ Caſinam dixerit, explicatum.

plicatum. Cap.22
Ex Athenæo mendæ duæ ſublatæ. Cap.23
Catulli carmen expoſitum. Cap.24
Vocabulum quoddam in Plutarchi Themiſtocle repoſitum. Cap.25
Ciceronis locus difficilis, & prouerbium Græcum enodatum. Cap.26
Quid apud Platonē ſit Amphionis dictum, oſtenſum: Euripidis uerſus aliquot ex eodem eruti. Cap.27
Plautinum carmen illuſtratum. Cap.28
Euripidis Heraclidæ caſtigatæ. Cap.29
Aliquot Horatij loca reſtituta. Cap.30

FINIS.

GVLIELMI CANTERI NOVARVM LECTIONUM Liber primus.

Originis Troianæ ratio, accuratè atq; emendatè tradita. CAP. I.

QVOD olim elegantiſsimè cecinit Pindarus, ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές: id ego aptiſsimè hoc loco facturus uideor, ſi ab urbe Troiana, quæ poetarum uerſibus perennem celebritatem conſecuta eſt, initium ſumã, & de antiquiſsimis eius regionis incolis, ac primis urbis autoribus paulo aliter, quàm hactenus traditum fuit, quædam referam. Illud igitur primùm ex Apollodoro, & alijs autoribus notum eſt: Teucrum Scamandri F. è Creta in Aſiam profectũ, Sminthium extruxiſſe, & regionem eam Teucriam uocaſſe, ac populos Teucros. Dardanũ deinde, Electræ F. è Samothracia in Teucriam delatum, ducta uxore, Teucri filia, Dardanum primùm condidiſſe: deinde, ut mortuus fuit Teucer, Dardaniæ nomen dediſſe regioni. ex eo poſtea natum Erichthonium, Troem procreaſſe, à quo terra ſit appellata

pellata Troia. Ilum deniq; Trois F. accepto oraculo, Ilium condidiſſe. Atq; hęc ut apud omnes extra controuerſiam ſunt, ita quę ad Dardani & Ili hiſtoriam pertinent, obſcurius ab hiſtoricis narrantur: ita ut quoſdam, uiros alioqui doctos, in errorē nō leuem impulerint, ſibiq; contraria dicere coegerint. Quoniam autē hęc hiſtoria ab Iſac. Tzetze, quem pleriquc ſecuti ſunt, latius explicatur: eius ucrba heic apponam primùm, deinde examinabo & corrigam, ut ita demum ucra huius rei hiſtoria poſsit elici. Is igitur in ſuis in Lycophronem cōmentarijs ſicait:

δάρδανος κατακλυσμοῦ γεγονότος, ἐκ σαμοθράκης εἰς τὴν ἀντίπεραν γῆν περαιοῦται, καὶ τὴν νῦν τροίαν ἔμελλε κτίζειν. χρησμὸς δὲ τοῦτον κωλύει κτίζειν τὸν λόφον, εἰπὼν βλάβην γίνεσθαι τοῦτον τοῖς αὐτοῦ κατοικήσασι. κωλυθεὶς, κτίζει τὴν δαρδανίαν, πρότερον σκαμάνδρου λόφον καλουμένην, βασιλεύοντος τότε τῶν τρωικῶν μερῶν τεύκρου τοῦ σκαμάνδρου καὶ ἰδαίας νύμφης. οὗ σκαμάνδρου τὴν ἀδελφὴν βάτειαν λαβὼν ὁ δάρδανος, ἣν καὶ ὁ λυκόφρων ἀριάβην λέγει, γεννᾷ ἶλον καὶ ἐριχθόνιον. ὧν ἶλος ἄπαις τελευτᾷ, ἐριχθόνιος δ' ἐξ ἀστυόχης τῆς σιμόεντος γεννᾷ τρῶα. τρωὸς καὶ καλλιρόης τῆς σκαμάνδρου, ἶλος καὶ ἕτεροι. ὃς ἶλος εἰς φρυγίαν ἐλθὼν, ἐν τρειήπῳ ἐμαντεύσατο. ἔχρησε δὲ αὐτῷ ὁ τρειηπισσῶος ἀπόλλων, μὴ κτίζειν τὸν λόφον τοῦτον. ἄτης γὰρ αὐτοῦ ἔφη. διὸ καὶ δάρδανος αὐτὸν ἔκτισεν· καὶ τὴν ὑπὸ τὴν ἴδην δαρδανίαν, πρότε-

ρον σκαμάνδρου λόφον καλουμένην. ἐν Φρυγίᾳ γοῦν ἀγῶνα ὑπὸ τοῦ βασιλέως τεθειμένον ὁ ἶλος εὑρὼν, νικᾷ πάλιν. καὶ λαβὼν ἐκ τοῦ βασιλέως ἆθλον ν κόρας, καὶ ν κούρους ἐκ χρησμοῦ, εἵπετο βοῒ πλανηθείσῃ ἐκ μυσίας. ἥτις ἀφικομένη ἐπὶ τὸν λεγόμενον τῆς Φρυγίας ἄτης τόπον, καταχλίνεται. ἔνθα πόλιν κτίσας ὁ ἶλος, ἴλιον ἐκάλεσε. Hęc ſunt illius uerba, quę partim trāſpoſita, partim etiam corrupta ſunt, ſic ut nullus ex ijs commodus ſenſus proferri poſſit: quemadmodum nunc oſtendere conabimur. Primùm enim quæ de Dardano dicuntur, ſatis rectè ſe habent, niſi quòd ubi legitur de Batea, ἣν καὶ ὁ λυκόφρων ἀριάβην λέγει, legendum eſt ἀρίσβην. Lycophron enim in Caſſandra ſic ait:

γήμας ἀρίσβαν κρῆσσαν, εὐγενῆ κόρην.

Iam uerò quę de Ilo poſtea narrantur, ἐν πρώτῳ ἐμαντεύσατο, &c. ea non ad Ilum, ſed ad Dardanum referenda ſunt, ac ſuperiore loco poni debuerant, ubi eadē ferè narrantur: ſiue heic Scholiaſtes uoluit ταυτολογεῖν, ſiue id potius à librarijs peccatū eſt. In his porrò uerbis mendū eſt inſigne, quod totam penè hiſtoriā conturbat. Nam cū ita ſcribatur, διὸ καὶ δάρδανος αὐτὴν ἔκτισεν, addenda eſt negatio, & ſcribendum οὐκ ἔκτισεν: ac fortè etiam pro καὶ ſequēti ponendū ſit ἀλλά. Dardanus etenim oraculo parēre uoluit, ideoq; Dardaniam alio loco extruxit, ut & ſuprà dictum eſt.

Quod

Quod autem negationem heic deſiderari dico, nemo miretur: cum eadem & alio loco apud eundem Scholiaſten omiſſa ſit: quem admodum alibi docebimus. Nunc ut ad Ili hiſtoriã reuertamur, ea à certamine Phrygio, non ab oraculo Apollinis, eſt incipienda. Sũt autem hoc quoq; loco errores duo. prior in his uerbis νικᾷ πάλιν: cum πάλην ſcribendum ſit, ut & in Plutarchi Theſeo, & in Ariſtidis Apologia communi, ut inſcribitur. poſterior in his, τῆς φρυγίας ἀκτῆς. nam ἄτης reponendum cenſeo (ſicut & apud Stephanum, cum de Ilio loquitur) ut ex prioribus patet. quanquam & in utraq; coniectura me cum facit Apollodorus. Tota igitur hiſtoria breuiter ſic habet: Dardanus è Samothracia proficiſcens, ſiue diluuio territus, ſiue fratris infortunio commotus fuit, ad oppoſitum ex altera ripa collem enatauit: ubi cũ ſedem uellet figere, Apollinis oraculo, ne id faceret, monitus eſt, quòd iſte collis Atæ ſeu Noxæ ſacer eſſet, ideoq; eius incolas infortunium maneret. Inde Dardanus ad aliũ collem, qui Scamandrius dicebatur, conceſſit, & in eo Dardaniam urbem extruxit. Poſterioribus deinde temporibus Ilus, cum in certamine uictoriam obtinuiſſet, aſſumtis iuuenibus quinquaginta, & totidẽ puellis, uaccam quandã uagantem ſecutus eſt: quo-

niam ita iuſſerat oraculum, ut, ubi illa primum procubuiſſet, urbem cōderet. Tandē ad Noxæ collem, à quo Dardanus abactus fuerat, deuenit, ibiq; Ilium extruxit. Hæc ferè ſunt, quæ de antiquitate Troiana inuenire potui. Iam ταύτης ὥσπερ κρηπῖδος ἢ ῥίζης ὑποκειμένης, ut ille ait, ad alia, Deo auſpice, pergamus.

Pompeij locus reſtitutus,
Cap.2.

IN ijs Sexti Pompeij fragmentis, quę temporum iniuriæ, & uitilitigatorum ſordibus ſuperfuerunt, multa eſſe partim mutila & hiulca, partim corrupta & deprauata, teſtatur facilè doctorum uirorum conatus, qui huic autori, ex quo magnam Latinæ linguæ partem ſciebant pendere, reſtituendo ſuam nauarunt operam: in quo tamen ita ſe geſſerunt aliquando, ut quædam omnino tanquam inſanabilia reliquerint, nonnulla etiam ſatis temerè atq; inconſideratè correxerint. id quod nunc unius loci exemplo demonſtrare conſtitui; quem ut ab illis deprauatū, ita à nobis integritati ſuæ reſtitutum confidimus. quanquam rem totam doctiorum iudicio libenter ſubmittimus. Feſti locus ſic habet:

Pilare & compilare, ſunt qui Græcæ originis .... Græci enim fares piletas. ....

quem

Quem ego ita legendum cenſuerim: Pilare & compilare, ſunt qui Græcæ originis putent. Græci enim fures φιλῆτας dicũt. Pro Fares quidem in Paulo legitur Plures: ex quo Fures eſſe faciendum, etiam ante nos alij annotarũt. Quòd autem ijdem piletas in πειράτας mutarunt, non puto elegantiori cuiquã probari poſſe. Ceterũ quòd ἀπὸ τῶν φιλητῶν deducit Feſtus uerbum Pilare, neminem turbare debet, tametſi primę utriuſq; litterę ſunt diſsimiles: quandoquidem iſta aſpiratę in tenuem mutatio frequens in talibus contingit, quemadmodum & Feſtus ipſe in uerbo Picati docet, cùm, quod Græci φῖκα, id Latini picum dixerint. Alioqui nemo neſcit, Aeoles aſpirata tenuiter efferre ſolere. Similiter φάσκωλον, quod nunc in mentem uenit, Latini Paſcolum dixerunt: & per diminutionẽ Plautus Rudente, Paſceolũ. Atq; hæc cùm primùm edidiſſem, prodierunt mox doctiſsima doctiſsimi Turnebi Aduerſaria: in quibus quoniam eodem modo locum hunc emendauit, ea res non mediocrem mihi lætitiam attulit. nec mirum. nam & ille (at qualis uir) placet interdum ſibi, cum habet alios, quamuis ſibi ſuppares, ſententiæ ſuæ aſſertores.

Oraculum

Oraculum Sibyllæ explicatum.
Cap.3.

SIbyllina quæ extant oracula, multi pro nothis & fictis adhuc habent, quòd ea quidē quæ olim extiterunt, Romæ putent omnia fuiſſe cōbuſta: quæ uerò nunc reſtāt fragmenta, ſimpliciora uideātur & apertiora, quàm ut nominis tanti dignitatē ſuſtinere poſsint. Hæc autem ut facilè dicuntur, ita non difficulter refelluntur. Primùm enim ueriſimile non fit, Sibyllæ oracula Romæ duntaxat extitiſſe: cum præſertim illic non nata, uerùm aliunde allata fuerint: tradātq; hiſtorici Romani, in Græciam poſtea miſſos à Romanis fuiſſe, qui hæc oracula diligenter undiq; conquirerent, & Romam referrēt. Deinde cum antiquiſsima queq; ſcripta ferè ſoleant eſſe rudiora, & ornamentis, quæ recentiores addiderunt, paucioribus expolita, ſicut ex Orpheo, Muſæo, atq; alijs cognoſcitur: debet idem & Sibyllinæ poeſeos autoritatem non tam diminuere, quàm augere. Quò etiam accedit, quod, ut inquit Plutarchus, τὸ ἁγνὸν οὐ προσίεται τὴν ἡδονήν.

Quod porrò de perſpicuitate horum carminum obijciunt, quia ſatis ab alijs refutatum eſt, in eo longiorem orationem non ponā. Hoc tantum addam, cum ueteres Theologi in refellēdis ethnicis uſi ſint his oraculis,

quæ

quæ nunc eadem apud nos extant: dubium non eſſe, quin & ab antiquis eadem ſint cõprobata: & quæ nunc ſuperſunt, pro ueris haberi debeant. Quæ cum ita ſint, non ingratum ſtudioſis facturi uidebimur, ſi ænigma quoddam Sibyllinum, quod adhuc cõiectorem non reperit, ea interpretatione & emendatione, quam à I. Aurato, uiro doctiſſimo, quondã accepimus, illuſtrauerimus. Eſt igitur apud Sibyllam, libro primo, Deus O.M. Noam alloquens, & monens ut arcam conſtruat, in qua poſsit exorto diluuio ſe cum ſuis morti eripere. quod ut facilius Noæ perſuadeat, addit, ſe eum eſſe qui mari, cæloq; & ſtellis circumdetur, terra ſub pedibus ſubiecta. deinde etiam nomen ſuũ explicat, ſed per numeros, id quod in rebus ſacris non eſt nouum. Verba ſunt hæc:

ἐννέα γράμματ᾽ ἔχω, τετρασύλλαβός εἰμι, νόει με.
αἱ τρεῖς αἱ πρῶται, δύο γράμματ᾽ ἔχουσιν ἑκάστη.
αἱ λοιπαὶ δὲ τὰ λοιπά, καὶ εἰσὶν ἄφωνα τὰ πέντε.
τοῦ παντὸς δ᾽ ἀριθμοῦ ἑκατοντάδες εἰσὶ δὶς ὀκτώ,
καὶ τρεῖς τρὶς δεκάδες, συὼν γ᾽ ἑπτά. γνοὺς δὲ, τίς εἰμι,
οὐκ ἀμύητος ἔση θείης παρ᾽ ἐμοίγε σοφίης.

Ad hoc ænigma explicandũ duo requiruntur: nempe ut ſyllabarum primùm & literarum, deinde etiam unitatum numerus iuſtus prodeat. quanquam in utroq; mendi nõnihil eſt apud Sibyllam, ut oſtendemus.

Quoniam

Quoniam igitur illud conſtat, uocabulum θεός, cum de ſe Deus loquatur, huc pertinere, quod tamen ad integrum numerum conſtituendum non ſufficiat: aliud ei præterea adiungendum eſt, ut plena fiat ſupputatio. Illud autem commodiſsime ex Acroſtichide, quæ prope eiuſdem eſt argumenti, deſumemus: ubi cum Chriſtus appelletur σωτὴρ, hoc uerbum cum θεὸς coniunctum, ænigmatis totius explicationem perficit: quod iam per partes demonſtrandum eſt. Nam quod inquit primum, literas nouem, & ſyllabas quatuor ſe complecti: id in his duobus uocabulis cernitur apertiſsime. Quod porro ſequitur, tres primas ſyllabas duabus literis ſingulas conſtare, & reliquam reliquis, id non minus clare perſpicitur: niſi quod pro αἱ λοιποὶ, ſubſtituendũ eſt ἡ λοιπή. Qui enim quatuor initio ſyllabas poſuerit, ei, cum tres ſumſerit, plures una reſtare non poſſunt. Conſonantes autem quinq; ſunt, quas uidere quiuis poteſt. Nũc ad alteram ænigmatis partem ueniamus, qua traditur, numerum huius nominis complecti 1697 unitates: id quod itidem in θεὸς σωτὴρ conueniet, ſi pro σιὼγ' ἑπτά, reponas σιὼ δισσά. Sic enim fiet, ut numeri horum uocabulorum, θεὸς σωτὴρ, qui ſunt 1692, oraculo cõueniant. quod ſi pro ſeptem ſupputet duo, idem numerus

merus prodibit. Nec debet hanc emendatio nem quiſquam grauatim admittere, cũ præſertim tantus in reliquis conſenſus appareat. Sed ut numerorum ratio ſit facilior, literis ſingulis numeros ſuos Arithmeticè apponam: qui per Additionẽ in ſummam collecti, rem totam ſub oculos obijciant.

9	θ
5	ε
70	ο
200	ς
200	σ
800	ω
300	τ
8	η
100	ρ
1692	Summa.

Illud ad extremum adijciam: σωτῆρος, uocabulum, quod Chriſto tribuitur, optimè huic loco quadrare, uel ea de cauſa, quòd eum qui Patribus olim apparuit, non Deum patrem, ſed Chriſtum fuiſſe, antiquiſsimi ſcriptores ſacri tradunt.

Ciceronis locus emendatus.

Cap. 4.

M. Tullius in primo de Legibus, id uidetur habere propoſitum, ut origi nẽ iuris à natura ceu fonte repetat, ſumto à ratione

ratione humana, & notionibus in mente hõminũ inſculptis initio: unde pateſiat, natos eſſe omnes ad iuſticiam colendam, naturaliq́ ſocietate inter ſe coniungi: nec tam ex opinione, quàm è natura ipſa leges omnes atq; iura emanaſſe. Hæc eſt ferè totius libri ſumma: cuius primam quidem partem, quæ eſt de ultimo legis ortu, ita complectitur, ut dicat rationem, cũ in homine & in Deo cernatur, in hoc tamen ſemper eſſe perfectam, in illo non item, niſi doctrina uel uſu confirmetur: quo fiat, ut ratio in Deo ſemper legẽ efficiat: in homine non antè, quàm perfecta ſit. id autem effici naturæ ui, quæ primis notionibus & intelligentijs inchoatis informata, rationem abſoluat, legibusq́ ferendis aptam reddat. His ita explicatis, exiſtimo loci cuiuſdã in hoc libro emendationem facilè ab omnibus comprobatum iri, quandoquidem totius libri ſcopus in ea mecum facit. Sic igitur de primis intelligentijs loquitur Cicero:

Ipſum autem hominem eadem natura non ſolum celeritate mentis ornauit, ſed etiam ſenſus tanquã ſatellites attribuit, ac nuncios: & rerum plurimarum obſcuras & neceſſarias intelligentias enudauit, quaſi fundamenta quædam ſcientiæ: figuramq́; corporis habilem & aptã humano ingenio dedit.

Ita cum legatur in omnibus, quas uiderim,

editionibus,uocabulum tamen *enudauit* corruptum eſſe,certò affirmare auſim.pro quo qui legunt Enodauit,errorem mutant,non tollunt. Etenim natura, quam heic more Stoicorum pro Deo ſumit, non perfectas, nec enodatas,ſed inchoatas tantum intelligentias hominum mentibus indidit, quæ deinde præceptis artium, & uſu longo informatæ perficerentur.Quo fit, ut exiſtimẽ pro *enudauit* reponendum Inchoauit, cum pręſertim paulo pòſt eandem rem ſic exprimat idem Cicero: *Nam & communis intelligẽtia nobis notas res efficit, easq́; in animis noſtris inchoauit,ut honeſta in uirtute ponantur, in uicijs turpia.* Quin & ſtatim poſt eũ, quẽ emẽdaui, locum hæc habentur de natura uerba: *Quæ etiam nullo docente profecta ab ijs , quorum ex prima & inchoata intelligentia genera cognouit, conformat ipſa per ſe rationem, & perficit.* Sed næ ego lectorum iudicio nimis uideor diffidere, qui de re tam aperta tot uerba faciam. Quid quod hęc emendatio uiro doctiſſimo nuper adeò placuit, ut eam in ſuis in hos Tullij libros annotationibus, quæ poſtremò prodierunt, pro ſua ſit habere dignatus, quaſi eam à nobis mancipio, non uſu accepiſſet. uerùm παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.

Aeſchyli locus explicatus, eiusq́; uulgata lectio defenſa. Cap. 5.

QVicunq; corruptos autorum libros emendare conantur, debent utique plurimarum rerum & cognitione & præſenti memoria pollere. ne quid forte, quod ipſi uel ignorantiæ uel obliuionis uicio minus intelligant, cum deprauatum putarint, emendationi temere ſubijciant, itaq; priorem labem non auferant, ſed augeant. Huic rei exemplo poterit eſſe locus quidam Aeſchyli poetæ in ea tragœdia, quæ à ſeptem ducibus nomen habet: in qua cum nuncius explorator ad Eteoclem reuerſus, hoſtium duces ad ſingulas portas collocatos, recenſere cœpiſſet, & à Tydeo exorſus, eius ferociam & iactātiam explicaſſet, quęrit ex Rege deniq;, quem nā putet huic opponi poſſe. Tū rex deriſa prius hoſtili ſuperbia, Melanippum deligit, Aſtaci F. qui Tydeo uideatur poſſe reſiſtere, cum ſit generoſus, ac pudore plenus, ſuperbiamq; exoſus, & omnem fugiat turpitudinem, atq; adeò genuinus ſit ciuis, ut qui à ſatiuis hominibus, quibus Mars olim pepercerat, originem ducat. hæc autē poſtrema Græcè ſic leguntur:

σπαρτῶν δ' ἀπ' ἀνδρῶν, ὧν ἄρης ἐφείσατο,
ῥίζωμ' ἀνεῖται, κάρτα δ' ἐσ' ἐγχώριος.

Quæ uerba ex hiſtoria Thebana ſunt intelligenda.

ligenda, quæ tradit, Cadmum draconis, quem occiderat, dentes ſeminaſſe: è quibus cum uiri armati extitiſſent, eos mutuis cædibus periiſſe, quinque tantum ſeruatis. Sic enim Apollodorus: κάδμος ἰδὼν ἐκ γῆς ἀναφυομένους ἄνδρας ἐνόπλους, ἐπ' αὐτοὺς ἔβαλε λίθους. οἱ δὲ ὑπ' ἀλλήλων νομίζοντες βάλλεσθαι, εἰς μάχην κατέστησαν. περιεσώθησαν δὲ πέντε, ἐχίων, οὐδαῖος, χθόνιος, ὑπερήνωρ, πέλωρ. Ouidius quoque Metamorph. tertio:

Iamq; breuis uitæ ſpacium ſortita iuuentus,
Sanguineam tepido plangebant pectore matrem,
Quinq; ſuperſtitibus.——

Ex his igitur oriundum uult Melanippum Poeta: non ex aduenis illis, qui cum Cadmo terram occuparant. Nam ſic & Megareum paulo pòſt τοῦ σπαρτῶν γένους eſſe prodidit, & Creontem in Phœniſsis Euripides. Quæ cum ita certa ſint, mirari ſatis non poſſum, quid uiro cuidam doctiſsimo in mentem uenerit, ut pro ἐφείσατο, legere mallet ἐφύσατο. Nam præterquam quòd iſtud duriuſculum foret, quid poteſt elegantius de iis qui in bello non perierunt, dici, quàm quod heic ponit Aeſchylus, ὧν ἄρης ἐφείσατο.

Arnobii loca duo ab eadem labe uindicata. Cap. 6.

Doctus in primis & facundus ſcriptor, Arnobius Afer, in iis quos contra

 Gentes

Gentes ſcripſit, libris ſeptẽ, omni eruditio-
nẽ & antiquitate pleniſsimis, firmis admo-
dum ac ualidis argumentis ethnicorum ine
ptias & cæremonias refellit, idq́ꝫ ſumtis ex
hiſtoria teſtimonijs, quę ad ſacrorum & my
ſteriorum originem tradendam pertineãt.
Inter cetera uerò legitur apud eũ fabula de
ortu Phrygiorum myſteriorum, è Taren-
tino deſumta: quæ quia uicij nõnihil habet,
id indicare uidetur operæprecium. Sic igi-
tur ſcribit libro quinto: *Quondam Dieſpi-
ter, inquiunt, cum in Cererem matrem libidinibus
improbis, atque inconceſsis cupiditatibus æſtua-
ret (nam genitrix hæc Iouis, regionis eius ab acco-
lis traditur) neque tamen auderet id quod procaci
appetitione conceperat, apertiſsima uipetere: inge-
nioſas commini ſcitur captiones, quibus nihil tale
metuentem, caſtitate imminueret genitricem. fit ex
deo taurus, & ſub pecoris ſpecie, ſubſeſſoris ani-
mum atque audaciam cælans, in ſecuram & ne-
ſciam repentina immittitur ui furens. agit ince-
ſtus res ſuas, & prodita per libidinẽ fraude, intel-
lectus & cognitus euolat. Ardeſcit furijs atq; in-
dignationibus mater, ſpumat, anhelat, exæſtuat:
nec fremitum continere, tempeſtatemq́; irarum ua-
lens, ex cõtinua paſsione primò, deinceps ut appel-
latur, aſſumſit.* Quæ poſtrema uerba, meo
iudicio, ſic legenda ſunt: Nec fremitum con
tinere tempeſtatemq́ꝫ irarum ualens, ex con
tinua

tinua paſsione Brimo deinceps ut appella-retur, aſſumſit. *βριμὼ* enim uocatur à Græcis tum Ceres, tum Proſerpina, *ἀπὸ τοῦ βριμᾶν*. Apollonius:

βριμὼ νυκτίπολον, χθονίην, ἐνέροισιν ἄνασσαν.

Quin etiã Hecatæ tribuitur ab eodem idem cognomen, cum ait:

βριμὼ κικλήσκων ἑκάτην. —— & Lycophrone:

——*περσέως ἡ πάρθενος,*

βριμὼ τρίμορφος, θήσεταί σ' ἐπωπίδα.

Eadem porrò uox apud eundem Arnobiũ iterum corruptè legitur eodem libro paulo pòſt, ubi contra allegorias poeticas diſputans, ſic infert: *Vt enim Iouē pro pluuia, Cererem (uerbi cauſa) pro terra uultis audire, & pro Libero ac patre Dite, ſubmerſionē ſeminis atq; iactũ: ita dicere uos conuenit, quid pro tauro debeamus accipere, quid pro indignatione Cereris atq; ira: quid ſibi uelit primo uerbũ, qd Iouis ſoliciti ſupplicatio.* Hæc enim poſtrema ſic item emẽdo: Quid ſibi uelit Brimo uerbum, quid Iouis ſoliciti ſupplicatio. Eandem enim hiſtoriam, quam ſuprà retulerat, breuiter indicat. Nec uerò mirũ fit, librarios hanc uocem, quã nõ intelligerent, litera prima mutata corrupiſſe.

Menda quædam è Q. Calabro ſublata.
Cap. 7.

QVinti Smyrnæi, quem uulgò Calabrum uocant, elegans extat & uenuſtũ poema, quo res Troianas ab Homero prætermiſſas, libris 14. proſequitur: & ab Hectoris morte exorſus, uſq; ad Vrbis excidium, atq; adeò funeſtum Græcorum reditum, hiſtoriam Troianam deducit. Et quoniam hoc opuſculum ualdè multis in locis deprauatum eſt, eorum aliquot nunc emendare uiſum eſt, omiſsis ijs quæ partim leuiora ſunt, quàm ut corrigi debeant: partim grauiore laborãt uicio, quàm ut ope noſtra ſanari poſsint. Primùm igitur libro ſecundo ſic legitur:

λευγαλέῃ ἢ καὶ ἄχετος ἔσσυτο ὀδμὴ
ἐξ ὕδατος. φαίης κεν ἔθ᾽ ἕλκεος οὐλομένοιο
τυπομένους ἰχῶρας ἀποπνέειν ἀλεγεινόν.

Hunc poſtremum uerſum ſic reſtitues,

πυθομένους ἰχῶρας ἀποπνείειν ἀλεγεινόν.

Poſtea lib. quarto ait,

——οἱ δ᾽ ἐλατῆρες
ἵπποις οἷσιν ἕκαστος * τῇ μὲν ἱμάσθλῃ
ταρφέα πεπληγώς. ubi deeſt ἐκέκλετο.

Deinde libro quinto hęc habetur ſententia:

αἰεὶ δ᾽ ἀφραδέος πέλει ἀνέρος ἀμφιπόλοισι,
πᾶσι καὶ ἐν βουλῇσιν ἀνὴρ πολύιδρις ἀμείνων.

quæ ſic legenda uidetur:

αἰεὶ

αἰεὶ δ' ἀφραδέῳ πέλει ἀνέρος ἀμφὶ πόνοισι
πᾶσι,&c. Iam lib. ſexto ait,
ὣς εἰπὼν, κεχαμένοιο φέκλυτα πύχε' ἐλέαξ
μήτ' ἐπεσσύμενος. quod ita lego:
ὄρνυτ' ἐπεσσύμενος.

At pro μήτοι τρῶες lib. ſeptimo, legendũ eſt κήτοι. uocat enim hic autor Troianos κητιόεσσα à ceto, ni fallor, quem Hercules confecit. Tum lib. ſeptimo ſic legitur:

εὖ εἰδὼς, ὅτι πάντες ἐς ὤμλῳ ἀΐδαο κέλευθον
νισσόμεθα—quem uerſum ſic emendo,
εὖ εἰδὼς, ὅτι πάντες ὅμλῳ ἀΐδαο κέλευθον.

Eodem deinde libro hæc habentur uerba,

ὡς δ' ἁλιεὺς κατὰ πόντον ἀνὴρ λελιημένος ἄγρης,
πύχων ἰχθύσι πῆμα, φέρει μὲν ἡφαίστοιο
νηὸς ἐῆς ἔντοσθε.— quod poſtremũ ſic lege,
φέρει μένος ἡφαίστοιο νηὸς ἐῆς ἔντοσθε.

Plautus hoc Vulcani uiolentiam Latinè dixit. Ac ſimiliter ferri poteſtatem Lucretius, naturalem poteſtatem dixit Vitruuius. Libro deinde octauo quod habetur,

—ἀμφὶ δὲ πύργους
μάρναντο μεμαῶτες, ἐκυκλώσαντο πολλά:

hoc poſtremũ in πόληα mutandum cenſeo. Poſtea lib. nono ſic impreſſum eſt,

ἐκ δέ οἱ ἕλκεος αἰὲν ἐπὶ χθόνα λειβομένοιο
χῶρος πεπάλακτο πέδον πολυχανδέος αὔτεω.

Heic pro χῶρος reponendum uidetur ἰχῶρος, ut carmen unà cum ſententia conſtet. Dein-

de lib. undecimo hæc habetur comparatio:

ὧς δ᾽ ὅτε τις γεραύοισι τανυφθόγγοισι χολωθεὶς
οὖρος ἀνὴρ πεδίοιο μέγ᾽ ἀχαλόων ἐπορούσῃ,
δινήσας περὶ κρατὶ θοῇ καλὰ νεῦρα βόξα,
ἄλλα βάλξ κατέναντα. quod poſtremum ſic reſtitues,
λᾶα βαλεῖ κατέναντα. Iam quod ait lib. 12,
—— κακὴ δ᾽ ἐπενίσσατο φρύγα
Τρῶας, ὅτ᾽ εἰσενόησαν ἀνὰ πτόλιν αἰνὰ πέλωρα,

corruptam habet uocē *φρύγα*, pro *φρίκη*. Deniq; lib. 13. ponuntur hi uerſus:

ὡς Τρῶες κτείνοντο κατὰ πτόλιν, οὐδέ τις αὐτῶν
ῥύετ᾽ ἐπουρανίων. περὶ γὰρ αἰνὰ παίντο θε μοῖραι
μακραὶ περιστήσαντο. quorum poſterior ſic emendandus uidetur:
περὶ γὰρ λίνα παντὸς μοῖραι μακρὰ περιστή-σαντο.

quodq; ibidem paulo pòſt ſequitur, *ἣ δ᾽ ἄλεκτο*, lego *ἣ δ᾽ ἀλάλητο.*

Apud uarios autores in eodem uocabulo commiſsi errores, oſtenſi. Cap. 8.

QVi de uarijs mendorum cauſis ætate noſtra tradiderunt, hanc etiam inter ceteras referunt, qua literarum ordo in uerbo aliquo permutatur, & inuertitur: ut cum Suſcipere pro Suſpicere, Vis pro Ius, & uiciſsim ponuntur. Huius erroris inſigne exemplū unum idemq; in uarijs autoribus, ac poetis præſertim, deprehendimus, apud quos

quos Omnia pro Omina tam crebrò legitur, ut hac in re typographorũ inſcitiam dicam, an incuriam, ſatis mirari nequeam. In Virgilio primùm ſæpius hoc erratum commiſſum eſt, quanquam id ij qui poſterioribus editionibus præfuerunt, alicubi ſuſtulêre. Quæ autem hoc uicio laborant loca, ſunt hæc ferè, quæ nunc deſcribã, ut in uulgatis exemplaribus leguntur.

Dũ medicas adhibere manus ad uulnera paſtor
Abnegat, & meliora deos ſedet omnia poſcens:
Georg. 3.
Omnia ni repetant Argis, numenq́; reducant:
Aen. 2.
——ita digerit omnia Calchas:
Da deinde auxiliũ pater, atq; hæc omnia firma:
Ne qua inter ſanctos ignes in honore deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omnia turbet. 3.
Seraq́; terrifici cecinerunt omnia uates. 5.
Ilicet infandum cuncti contra omnia bellum,
Contra fata deûm peruerſo nomine poſcunt. 7.

Iam hoc maximum, quod extrema Pharmaceutria ſcriptus codex legendum docet,

Credimus? an qui amant, ipſi ſibi omina fingũt?

Statius Papinius quoq; hac macula non ſemel infectus eſt, ut & ſcripti codices plerunq; teſtantur: cuius itidem loca aſſcribam ſecundum Lugdunenſem editionem:

Tu mihi perplexis quæſitam erroribus ultro

Aduehis alma fidem, ueteriſq; exordia fati
Detegis. aſsiſtas operi, tuaq; omnia firmes:
Thebaid. 1.
Mox audiſſe negant, cunctos tamen omnia rerũ
Dira mouent:——2.
Ire tamen, uacuoq; ſedet petere omnia cælo. 3.
Fata patent homini: piget inſeruare, peritq;
Venturi promiſſa fides. ſic omnia caſum
Fecimus: 6.——*noſtriſq; hæc omnia ſunto*
Prima odijs: 8.——*ſic omnia uicit:* 11.

Quin & quod apud Tibullum legitur lib. primo,

Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit: illi
Rettulit è triuijs omnia certa puer:

eodem uidetur laborare uicio, quemadmodum nos olim docuit I. Auratus, uir doctiſſimus. Quò pertinent ea quæ de ſortibus in lib. de Diuinat. Cicero diſputat, ubi ſic inter cetera: *Quid igitur in his poteſt eſſe certi, quæ Fortunæ monitu, pueri manu miſcentur atq; ducuntur?* Huic porrò ſimile eſt, quod apud eundem poetam extat lib. tertio:

At natum in curas hominũ genus, omnia noctis
Farre pio placant, & ſaliente ſale.

Iam quod apud Ouidium habetur altero de Ponto:

Quod ſi me ſaluo dabitur tua laurea templis:
Omnia bis dices uera fuiſſe mea: & quod ſexto Faſtorum,

Et de-

Et dederat miſeris omnia iuſta rogis. & quod in Acontij epiſtola,

Omnia re careant, nihil eſt uiolentius illa:

quin eiuſdem ſint notæ, neminem dubitare arbitror. Quid quòd apud Propertium lib. tertio cum legatur,

Omnia fauſta cano: & rurſum,

Contineant nobis omnia prima fidem:

libenter & heic Omina repoſuerim. Apud Lucanum uerò quod habetur lib. tertio,

——non omnia feſta,

Non fictas læto uoces ſimulare tumultu: & lib. octauo,

——regesq́; timet, quorum omnia merſit:

utrunq́;, ſecundũ ueterum codicum fidem, in Omina mutandum teſtamur. Sed & Val. Flaccus extremo lib. ſexto mendoſè habet,

Quid fratris ſæui tunc Iuppiter omnia pœnas
Promiſere mihi?

Claudianus quoq; ſecundo de Raptu:

——tangensq́; cubile,

Omnia perpetuo genialia fœdere ſanxit. & iterum in Probum,

——gratamq́; facem per inane rotantes
Proſpera uibrati tenuerunt omnia nimbi. Silius quoq; initio ſecundi,

Effundunt gemitus, atq; omnia triſtia uertunt
In ſtirpem Aeneadum: & initio quarti,

Contrà læta Dogus Tyrio canit omnia regi,

Et ſan-

Et fauſtũ accipitrem. & principio noni,
Haud ſecus ac ſi fauſta forẽt, & proſpera pugnæ
Omnia uenturæ. & paulo pòſt,
Talia uenturæ mittebant omnia pugnæ
Auſonijs Superi.——

Neq; uerò poetæ tantum huic mendo ſunt obnoxij, ſed & ipſe Cicero, apud quem libro de Diuinat. primo ſic legitur in exemplaribus pleriſq;: *Atq; ego exempla omnium nota proferam.* Quem locum olim cum emendaſſem, comperi poſtea, recentiores etiam editiones coniecturam meam comprobaſſe. Poſſem etiam adferre plura eiuſdem emendationis ex hiſtoricis quibuſdã exempla, niſi hæc admonendis lectoribus crederem ſufficere.

Euripidis uerſus aliquot reſtituti.
Cap. 9.

EVripidis Oreſtes cum à furijs miſerè uexaretur & agitaretur, idq; uidens Electa ſoror à lacrymis abſtinere non poſſet, quærit ex ea tandem frater, cur operto capite lacrymis indulgeat: ac ſe ſui pudere ait, qui miſeriarum ſuarum participem ſororem faciat. Hæc autem Græcè ſic leguntur, quanquam corruptè,

ἠλέ. σύγγονε, τὶ κλαίεις κρᾶτα θεὶς εἴσω πέπλων;
ὀρέ. αἰσχυνόμαι σοι μεταδιδοὺς πόνων ἐμῶν.

Primùm igitur tollenda heic eſt utraq; perſona,

ſona, quæ ab imperitis aliquibus uidetur aſſuta, qui σύγγονον niſi de fratre dici poſſe non crediderint. Atqui non frater, ſed ſoror erat, quæ lugebat, ut è ſequentibus Oreſtis uerbis licet colligere, cum ait:

καὶ νῦν ἀνακάλυπτ' ὦ κασίγνητον κάρα,
ἐκ δακρύων τ' ἄπελθε, κεἰ μάλ' ἀθλίως ἔχομεν.

Deinde pro θεὶς legendum eſt θεῖσα, quemadmodum & Scholiaſtem legiſſe conſtat. Nā is & hoc addit, eam capite obuoluto fleuiſſe, ne Oreſtē dolore, ſi id uidiſſet, afficeret Ac multa ſanè ſunt in Euripide loca ualde corrupta, quæ tamē è ſcholijs facilè poſsint à non oſcitante lectore corrigi, quale eſt illud primū in Hecuba, quod nunc occurrit:

οὐ μὴν γε πείθη τοῖσι σοῖς σοφωτέροις.

cum è ſcholijs ita ſit legendum,

οὐκ οὖν γε πείθη τοῖσι σοῖς σοφωτέροις.

Quare cuperem eos, qui ſe Euripidis interpretes auſi ſunt dicere, ac ſcholiorum lectionem non neglexiſſe uolunt uideri, paulo diligentius in locis permultis Scholiaſtæ lectionem animaduertiſſe, quę ſępe uaria, nec rarò recta eſt. Sed quid ijs facias, qui ne cōmentarios quidem iſtos poetarum, quos interpretātur, intelligere poſſunt commodè. nam ſi poſſent, non tam fœdè tam multis in locis laberentur, quibus ſi ſcholiorum lectionem cum iudicio adhibuiſſent, facilis

erat

erat, & expedita futura uia. Ac ne lōgè abeamus, præter exemplum primò poſitum, etiam id quod inquit poſtea Nuncius, non licere ciuibus militare foris,

εἴ ταὖδ᾽ ον οἰκȣρήμαθ᾽ οἱ λελȣμμένοι
φθείρȣσιν, ἀνδρῶν ἐυνίδας λαϐόμενοι,

quam facilè poterat è Scholiaſte reſtitui, quem nō *λαϐόμενοι*, ſed *λωϐώμενοι* legiſſe conſtat. Simile eſt & illud quod ſequitur,

ȣ̓ σῖγ᾽ ἀφεῖσα τοῦ γυναικείȣς γόȣς,

ςέρξεις τὰ κραθέντα. nā in Scholijs rectius *κρανθέντα* legitur. At interpretes noſtri poſterius iſtud ita exponunt: amplecteris ea quæ uictos manent. Contrà in Phœniſsis pro *κρανθεὶς αἵματι δ᾽ ἐνῷ*, legendum eſt *κραθείς*. At in Ione pro

εἰς ἓν ᾗ κραθὲν ταὐτὸν ἰχῶρ εἰσφορεῖς,

ſcribendum *κραθέντα*. Iam quod in proximis Oreſtæ uerſibus,

μὴ πρὸς θεῶν μοι περιβάλῃς ἀνανδρίαν,
εἰς δάκρυα πορθμεύȣσ᾽ οὐκ ὑπόμνησιν κακῶν:

quod ergo in horum uerſuū poſteriore *ὑπομονὴν* pro *ὑπόμνησιν* auſi ſunt reponere, quis hoc ferendum putet? Interim etiam amphimacrum, uel ſaltem pyrrichium in quarta regione ſe collocare fatentur. Hoc ſcilicet eſt Euripidem corrigere. Quid autem mirum? cum etiā Steſichori uerſus in Scholijs citatos

tos emendare ſe gloriati, ex bonis lyricis malos ijdem fecerint hexametros, quaſi nullo Steſichorus carminis genere præter heroicum fuiſſet uſus. Sed ut ad Euripidem redeamus, Scholiaſtes *in* his uerſibus negationē οὐκ non legit, quandoquidem διὰ uult ſubaudiri. ac uidetur ea ſanè ex poſterioribus uocis precedentis literis per incuriam geminatis excreuiſſe. Hac igitur ſublata, uerſus integrè ſic legetur:

εἰς δάκρυα πορθμεύου σ' ὑπόμνησιν κακῶν.

Nec heic quicquam eſt opus ſubaudiri, cum ſit apertus iſte ſenſus, Ne quæſo malorum recordationem in lacrymas traijcias, ſeu uertas: uel, Noli committere, ut malorum meorum recordata, in lacrymas incidas, atque ita priſtinam meam fortitudinem languidam reddas, & imbellem. Sed ne diutius eodem in loco commoremur, quod inquit paulo pòſt Oreſtes,

λέγ', ὡς τὸ λέγειν ἄγαθ' ἔχει τιν' ἡδονήν,

quàm facilè potuit ex ijſdē Scholijs corrigi. ſiquidem in ijs non λέγειν, ſed μέλλειν legitur. Noſtri nihilominus λέγειν & legunt & exponunt. Ac puderet me propemodum hec annotare, quæ maioris ferè ſunt laboris quàm ingenij (poſſem enim uel ſexcenta ſimilia, ſi opus ſit, adferre) niſi uiderem oſcitantiam quorundam tam ſupinam, atque aliorum cre-

dulitatem

dulitatem tam facilem, ut non amplius ferendę uideātur. Illud ſaltem adijciam, quod paulo ante uerſum poſtremò citatū legitur, *ἀγαμέμνονος τοι παῖς πέφυκ', ὃς ἑλλάδος ἠρξιωθεὶς*, &c. ita corrigendum eſſe, *ἦρξ' ἀξιωθείς*.

Hoc uerò, quoniam ſubdifficile fuit, illis, quamuis nō correxerint, ignoſcendum crediderim. Quin nec hoc è ſcholijs corrigi nō potuit, quanquā eſt corruptiſsimum, quod extremis Phœniſsis legitur, *καδμείαν ὠὴ νεβρίδα*, &c. nam pro *ὠὴ* legendū *ᾧ*. Sed finem facio.

Elegans uocabuli Aliter uſus explicatus. Cap. 10

INter alias Latinę linguæ delicias, quę ſingulis in uerbis conſiſtunt, non infimo loco cenſeri debet elegans admodum uocabuli Aliter uſus: quod apud poetas non ſemper uulgari more capitur, ſed & aliquando pro contrà, ſeu contraria parte ſumitur. Huius exemplum extat primùm in Ouidio, qui lib. Metamorph. altero ſic ait:

Sæuaq; circuitu curuantem brachia longo
Scorpion, atq; aliter curuantē brachia Cancrū.

Deinde Martialis in Amphitheatrū, hæc ad Cæſarem loquitur:

Crinibus in nodum tortis uenêre Sicambri,
Atq; aliter tortis crinibus Aethiopes.

Huc

Huc etiam pertinet epigramma quoddam, in quo rogatus Priapus, quà eſſet ad fontem iter, ita reſpondit:

Vade per has uites, quarum ſi carpſeris uuas,
Quas aliter ſumas, hoſpes, habebis aquas.

Cum enim ſolerent olim mulieres poſt rem cum uiro habitam aqua ablui, ut patet ex Ouid. uerſu,

Dedecus hoc ſumta diſſimulauit aqua: & Martialis,

Qua tibi parte opus eſt, Lesbia, ſumis aquam:

& Cic. pro Cælio, cum inquit Appius: *Ideô aquã adduxi, ut ea tu inceſtè uterere?* minatur furi Priapus, fore ut aliter purgetur. Ad hanc loquendi formam poteſt etiam referri; quod ait Ouidius:

Pœna placet diuerſa, genus mortale ſub undis
Perdere. ——

Diuerſa enim heic pro contraria ſumitur, ſicut igni ponitur aqua cõtraria. Statius quoque de Hypſipyle, repentino poſt dolorem gaudio perfuſa, ſic ait:

——*atq; alio maduerunt lumina fletu.*

Lacrymas enim nõ minus gaudium quàm dolor (quæ quidem opponũtur) ſolet exprimere. Simili ratione dixit Aethiopas alios lib. 10. ſicut & Iuuenalis alios elephantes, & Manilius alios menſes. Plautus deniq; Moſtellaria,

Quo nemo adæquè iuuentute ex omni Attica
Antehac eſt habitus parcus, nec magis continens:
Is nunc in aliam partem palmam poſsidet.

Muſæi locus emendatus. Cap. II.

IN eleganti illo & ſuaui poematio, quod Muſæo tribuitur (quanquam nomen eſt ambiguum) Leander iuuenis inducitur, Heronis uirginis connubium petens, eiq́ ſuadens, ne Venerem, quam colit, nimia pudicitia offendat, ſed aliarũ potius exẽplo, quibus ea pertinacia malè ceſſerit, cautior reddatur. Heic illa cum nõ leuem rei difficultatem obiceiſſet, quòd & parentũ aduerſam uoluntatẽ, & famam ſiniſtrã timeret: Leander uerſato in omnẽ partem animo, reſpondet ſe, qui nec undas nec fluctus metuat, ſingulis noctibus Helleſpontum tranſnare uelle, modò lucernã ipſa de turre ſumma ſuſpẽdat: ad quam ipſe ſolam reſpiciens (non ad Booten, uel Orionẽ, uel Cynoſurã, ut nautæ ſolent) in iucundũ Seſti portum ſe recipiat. Hæc poſtrema cũ in Græco cõtextu corruptè legantur, nec ab interprete ſint animaduerſa, nõ poſſum quin ritè, ut opinor, reſtituam. Verba poetæ ſic habent:

καί μιν ὀπιπλεύων οὐκ ὄψομαι δυώτα βοώτην,
οὐ θρασυὺ ὠρίωνα, καὶ ἄβροχον ὁλκὸν ἀμάξης,
πατρίδος ἀντιπόροιο ποτὶ γλυκυὺ ὅρμον ἱκοίμην:

Primus igitũ uerſus, cũ in carminis leges pec-
cet,

ket, ut facile eſt uidere, ſic uidetur mutãdus:

καί μιν ὀπιπλεύων, οὐκ ὀψὲ δυύοντα βοώτην.

Vt enim omittam, quod Homerus alicubi eodem utitur hemiſtichio: quis tardũ Booten ignorat? aut quis non uidet, τῷ ὀπιπλεύων reſpondere τὸ ἰχθύμην, itaq; τὸ ὄψομαι locum heic habere non poſſe? Hos porrò uerſus, ut & hoc obiter adiungam, expreſsiſſe uidetur Ouidius, cui Leander hæc ſcribit:

Nec ſequar aut Helicẽ, aut, q̃ Tyros utitur, Arctõ;
Quæq; micat gelido Parrhaſis urſa polo.
Eſt aliud lumen multo mihi certius iſtis,
Non erit in tenebris quo duce noſter amor.

Ibyci hiſtoria expoſita, & Statij de ea locus emaculatus. Cap. 12.

MEmorabile admodũ eſt, quod de Ibyci poetæ morte, eamq; ſecutã ultione tradũt hiſtorici. Cum enim peregrè iter fortè faceret Ibycus, in latrones incidit: à quibus cum iugulandus iam eſſet, grues in aere caſu præteruolantes ut aſpexit, eas calamitatis ſuæ teſtes fecit, & ut mortis indignæ ultrices eſſe uellẽt, precatus eſt, itaq; perijt. Latrones porrò poſtquàm Corinthũ in theatrũ uenerãt, aduolarũt etiã grues, nõ ſine diuina prouidentia: quas cum illi animaduertiſſent, cœperunt inter ſeſe de ipſis iocari, quaſi præclaræ forent Ibyci ultrices. Tum qui erant fortè proximi, hoc indicio moni-

ti, cum præſertim ab omnibus iampridem deſideraretur Ibycus, quæſtionem de illis habendam curarunt. Quo facto, illi re tota declarata, ſoricis more miſerè pœnas dederunt. Hiſtoriam hanc eleganter expreſsit Antipater in epitaphio Poetæ, quod his uerbis extat inter Epigrammata:

Ἴβυκε, ληϊσταί σε κατέκτανον ἔκ ποτε νήσου
βάντες ἐρημαίην ἄστιβον ἠϊόνα,
πόλλ' ἐπιβωσάμενον γεράνων νέφος, αἵ τοι ἵκοντο
μάρτυρες, ἄλγιστον ὀλλυμένῳ θάνατον.
οὐδὲ μάτην ἰάχησας, ἐπεὶ ποινή τις ἐρινύς
τῶνδε διὰ κλαγγὴν τίσατο σεῖο φόνον
σισυφίην κατὰ γαῖαν. ἰὼ πολυκερδέα φῦλα
ληϊστέων, τὶ θεῶν οὐ πεφόβησθε χόλον;
οὐδὲ γὰρ ὁ προπάροιθε κανὼν αἴγισθος ἀοιδὸν
ὄμμα μελαμπέπλων ἔκφυγεν εὐμενίδων.

Statius Papinius quoq; uidetur hanc rem leuiter attingere, niſi quòd poetæ nomen ita apud eum corruptum eſt, ut difficillimè potuerit reſtitui. Etenim in epicedio carmine, quod in patrem conſcripſit lib. Siluarum quinto, poſtquàm uarias eius laudes ætate iuuenili partas recenſuit; ſic eum deindè affatur:

Hinc tibi uota patrum credi, generoſaq; pubes
Te monitore regi, mores & facta priorum
Diſcere: quis caſus Troiæ, quàm tardus Vlyſſes,
Quantus equos pugnasq; uirũ decurrere uerſu
Mæoni-

Mæonides: quantumq; pios ditarit agreſtes
Aſcræus Siculuſq; ſenex: qua lege recurrat
Pindaricæ uox flexa lyræ uolucrumq; precator
Oblitus, & tetricis Alcman cantatus Amyclis, &c.

Quis enim heic uolucrũ precator dicatur, ut nemo nunc ignorare poteſt: ita nec dubitare quenquam debere affirmo, quin pro *oblitus* legendũ ſit Ibycus, cum nec *oblitus* heic locum ullum habere poſsit: & Ibyci nomen à librarijs, quibus minus notum fuit, corrũmpi facilè potuerit. Auſonius deniq; in Monoſyllabis uno uerſiculo hãc hiſtoriam complexus eſt:

Ibycus ut perijt, uindex fuit altiuolans grus.

E Xenophonte errata duo ſublata.

Cap. 13.

Est apud Xenophontẽ Hiero tyrãnus, cum Simonide poeta de cõmodis uitæ priuatę diſputans, eamq; regiæ longè præferens: quòd & ſenſuũ obiectis omnibus ſuauius priuati homines, quàm reges, fruantur, & cùm pacis maiora commoda, tum minora belli capiant incommoda. Horum deinde p oſterius ut probet, contentionem inſtituit eorum bellorum, quæ ciuitates liberæ inter ſe, & quæ tyranni contra rebelles ſuſcipiunt. Ea Grecè ſic habet: αἱ μὲν γὰρ πόλεις δήπου, ὅταν κρατήσωσι μάχῃ τῶν ἐναντίων, οὐ ῥᾴδιον εἰπεῖν,

εἰπεῖν, ὅσην μὲν ἡδονὴν ἔχουσιν ἐν τῷ τρέψασθαι τοὺς πολεμίους, ὅσην δ' ἐν τῷ διώκειν, ὅσην δ' ἐν τῷ ἀποκτείνειν τοὺς πολεμίους. ὡς δὲ γαυροῦνται ἐπὶ τῷ ἔργῳ, ὡς δὲ δόξαν λαμπρὰν ἀναλαμβάνουσιν, ὡς δ' εὐφραίνονται, τὴν πόλιν νομίζοντες ηὐξηκέναι. ὁ δὲ τύραννος, ὅταν ὑποπτεύσῃ καὶ αἰσθανόμενος τῷ ὄντι ἀντιπραττομένους τινὰς ἀποκτείνῃ, οἶδεν ὅτι οὐκ ἄξει ὅλην τὴν πόλιν, ἐπίσταταί τε ὅτι μειόνων ἄρξει, φαιδρός τε οὐ δύναται εἶναι, οὐδὲ μεγαλύνεται ἐπὶ τῷ ἔργῳ, &c. Latinè uerò ſic ſonat: Nam ciuitates uti que ſi hoſtes pugna uicerint, dici uix poteſt, quantã è fuga hoſtiũ uoluptatẽ capiant, quã-tam è perſecutione, quantã è cæde: quã ſibi placeant ob rem præclarè geſtam, quã ſplendidam conſequantur gloriam, quàm gaudeant, quòd patriam incrementum accepiſſe exiſtiment. Tyrannus autem ſi aliquos, de quibus malè ſuſpicabatur, rebelles deprehenſos occidat, nouit ſe nec ciuitatem hoc modo augere, & paucioribus deinceps imperaturum eſſe: nec hilaris uideri, aut iactare ſe ob rem geſtam poteſt. Quin etiam extenuat factum, quantum licet, eiusq; deſenſionem, ut iuſtè ſuſcepti, ſimul inſtituit. Ceterũ in his uertendis non uſquequaq; Græcum contextum, ut editus eſt, ſecutus ſum. Nam quod ille habet, οἶδεν ὅτι οὐκ ἄξει ὅλην τὴν πόλιν: ego lego, οἶδεν ὅτι οὐκ αὔξει ὅλην τὴν πόλιν. Reſpondent enim hæc ijs, quæ ante po-

ſuerat,

ſuerat, τὴν πόλιν νομίζοντες ηὐξηκέναι. Quin & apud Eurip. in quodam Hippolyti choro, cum legitur, ἵν' ὀλβιόδωρος ἄξει ζαθέα χθὼν εὐδαιμονίαν θεοῖς, eadem ratione αὔξει reponendum uidetur. Erratũ porrò iſtud cum non admodum difficile correctu fuerit, miror hoc tamen à uiro doctiſsimo ac diligentiſsimo, qui nuper Xenophontem Geneuæ edidit, animaduerſum non fuiſſe. Sed & alia extat in eodem libro macula, ab eodem itidem neglecta: quam nõ erit inutile ſimul delere, ſi quam id fortè gratiã apud ſuauiſsimi ſcriptoris ſtudioſos mereri poſsit. Extremo Hierone ita Simonides Tyrannum alloqui tur: ἀλλ' ἐγώ σοι φημὶ ὦ ἱέρων, πρὸς ἄλλους προστάτας πόλεων τὸν ἀγῶνα εἶναι, ὧν ἐὰν σὺ εὐδαιμονεστάτην τὴν πόλιν ἧς προστατεύεις παρέχοις, εὖ ἔσῃ νικῶν τῷ καλλίστῳ καὶ μεγαλοπρεπεστάτῳ ἐν ἀνθρώποις ἀγωνίσματι. Heic pro εὖ ἔσῃ, legendum conſeo εὖ ἴσθι: cuius phraſis elegantia Græcarum literarũ ſtudioſis nota ſatis eſt Quid quod extrema huius libri ſententia totidem penè uerbis effertur, κἂν ταῦτα πάντα ποιῇς, εὖ ἴσθι πάντων τῶν ἐν ἀνθρώποις κάλλιστον καὶ μακαριώτατον κτῆμα κεκτημένος.

Ciceronis locus explicatus, eiusq́; uulgata lectio defenſa. Cap. 14.

DE diuinatione diſputans apud Ciceronem Quintus frater, ait ſe, quamuis

rerum cauſas non poſsit omnes reddere, earum tamẽ naturam, & euentum ideo nolle euertere; eoq́; contentum eſſe, quòd, etiamſi quo modo quidq; fiat, ignoret, quid fiat, intelligat. Tum addit: *Pro omni igitur diuinatione idem, quod pro omnibus iis rebus, quas commemoraui, reſpondebo. quid ſcamoneæ radix ad purgandum, quid ariſtolochia ad morſus ſerpentũ poſsit, quæ nomẽ ex inuentore reperit, rem ipſam inuẽtor ex ſomnio, uideo, quod ſatis eſt: cur poſsit, ne ſcio.* Quod ergo de ariſtolochia adfert, ita uidetur intelligendũ, ut ea ab Ariſtolochia quadam, cui illa ſecundũ quietẽ fuerit declarata, nomen acceperit: quemadmodum & aliæ herbæ multæ ab inuentoribus denominatæ traduntur. Nam & Nicandri Scholiaſtes refert, Ariſtotelẽ de ariſtolochia ſcripſiſſe, eam à muliere fuiſſe inuentam. Petrus Victorius tamen, uir longè doctiſsimus, negat ſe poſſe horum uerborum ſententiam tueri: cum & Plinius aliud adferat huius herbæ etymon, & is eius effectus ab alio nemine traditus fuerit. Itaq; uel corruptum eſſe locum exiſtimat, uel potius memoria lapſum heic eſſe Ciceronẽ, uel ſaltem tertium aliquod herbæ nomen, qualis libro ſecundo ponatur, librariorum incuria deſiderari. Ex his eius coniecturis, quod pace tanti uiri dixerim, nullã ſatis probare poſſum: nec

ullum

nullum huic loco uicium ſubeſſe, temerè fatebor. Nam quod Plinius à grauidis herbę nomē ducit, id nō tam diſertè affirmare, quàm leuiter innuere uidetur: ut iā nihil de iſtius etymi concinnitate dicam. Quod deinde uim herbæ, quam tradit Cicero, minus uulgatam dicit Victorius, Theophraſti nō meminit, cuius hæc ſunt lib. decimo uerba: ἡ δ' ἀριστολοχία τῇ ὀσφρήσει μὲν εὔοσμος, τῇ δὲ γεύσει πικρὰ σφόδρα, τῇ χροᾷ δὲ μέλαινα. & mox, χρησίμη δὲ πρὸς πολλά, καὶ ἀρίστη πρὸς κεφαλήν. ἀγαθὴ δὲ καὶ πρὸς τὰ ἄλλα ἕλκη, καὶ πρὸς ἑρπετά, καὶ πρὸς ὕπνον, καὶ πρὸς ἕτερα. & iterum, πρὸς δὲ τὰ τῶν ἑρπετῶν ἐν οἴνῳ ὀξίνῃ πίνειν, καὶ ἐπὶ τὸ δῆγμα ἐπιπλάττειν. Quinimò ut locum hunc Ciceronis totū integrū putem, nec ullam in eo deſiderari herbam tertiam, mouent me cùm ea quæ dixi: tum quòd lib. ſecundo, quando Cicero fratris argumēta breuiter repetit, eaſdē duas herbas inter cetera refert, eaſq; ſolas. ſic enim ille: *Et eo quidem loco & prognoſtica noſtra pronunciabas, & genera herbarum, ſcamoneam, ariſtolochiamq; radicem: quarū cauſam ignorares, uim & effectum uideres.* Cum igitur locus uterque plenus uideatur, quin ariſtolochiam contra ſerpentes ualere uoluerit Cicero, dubium non relinquitur. Iam quod putat, eam herbā quam in ſomnijs uiderit Alexād er, teſtib. Cicerone ac Diodoro Siculo,

hoc loco reponi poſſe, minus rectè uidetur ſentire, qui teli ictum, quem illa ſanabat, à morſu ſerpentis non diſtinguat. Tametſi enim ὄφιν pro telo alicubi uſurpauit Aeſchylus, ſicut draconem pro arcu Lycophron: id eam uim non habet, ut uulgaris ſermonis diſcrimen poſsit tollere. Denique quod ait, nuſquam eſſe lectum, utilitatem hanc ariſtolochiæ ex ſomnio cognitam: hoc argumenti genus quale ſit, nemo eſt, opinor, Logicę tam rudis, qui ignoret.

Epimenidis uerſio correcta.

Cap. 15.

EPimenidis Cretenſis uerſiculum, quē D. Paulo debemus,

κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί,

omnes adhuc ita ſunt interpretati, ut γαστέρας ἀργὰς, uentres pigros & inertes uerterint. in quo equidem longè falli mihi uidentur: nec quid in uentris pigritia magnopere ſit reprehendendum, uidere poſſum. alioqui cū uenter in malam partem ſumitur, nihil ferè ſolet aliud adijci. Ceterùm ἀργὸς ut ſæpe ignauum & album, ita non rarò uelocem & auidum deſignat. Vnde qui ἀργοὶ κύνες à poetis dicuntur, non tam albi, quàm acres poſſunt & ueloces intelligi: quomodo & λήθαργος ab obliuiſcendi celeritate dicitur. Quo fit, ut hoc etiā loco γαστέρας ἀργὰς pro auidis

ſumi

ſumi credam, & edacibus, quæ aliter μαργαὶ dicuntur. Neque dubito, quin Epimenides, cum γαστέρα μαργὴν uellet dicere, nec id carminis pateretur ratio, eius loco ἀργὴν, quod idem ſonare uellet, ſubſtituerit. Vt autem hanc notionem huic uocabulo tribuam, facit etiam, quòd uoces λαίμαργος, στόμαργος, & γαστρίμαργος grammatici ueteres non tam à μαργὸς quàm ab ἀργὸς, ſiue per antiphraſin, ſiue alia ratione deducunt. quorum ſi uera eſt opinio, rectè poterit ἀργὸς, cum de uentre dicitur, ad gulam pertinere. Huc accedit, quòd Phauorinus, non contemnendus autor, cum huius dicti meminit, γαστέρας ἀργοὺς exponit γαστριμάργους. Vbi etiam hoc notandum eſt, illum non ἀργαὶ, ſed ἀργοὶ legere: id quod equidem ſequi malim, ut ἀττικώτερον. Hunc igitur uerſiculum, quem ita quidam uerterunt,

Cres ſemper mẽdax, mala beſtia, uenter iners eſt:

nullo penè negocio ſic emẽdatè uertemus,

Cres ſemper mendax, mala beſtia, uenter edax eſt.

Varronis loca duo illuſtrata.

Cap. 16.

Contra analogiam diſputans in libris de L.L. doctiſsimus Varro, hæc adfert inter cetera: *Accedit, quòd, quæcunque uſus cauſa ad uitam ſint aſſumta, in his utilitatem quæri mus,*

mus, non ſimilitudinem. Itaq; in ueſtitu, cum diſsimillima ſit uirilis toga tunicæ muliebri, ſtola pallio: tamen inæqualitatem hanc ſequimur nihilominus. In ædificijs quid non uidemus habere atrium περιςύλȣ ſimilitudinem, & cubiculum adæquale: cum tamen propter utilitatem in his diſsimilitudines potius, quàm ſimilitudines ſequamur. Quę poſtrema ſententia quoniam uidetur quibuſdã eſſe toto Varrone difficillima, quàm perſpicua ſit atq; facilis, breuiter oſtendam. Si, inquit, omnibus in rebus analogia ſimilitudoq; eſt obſeruanda, quî fit, ut in ædificijs atrium περιςύλῳ, & huic cubiculum ſimile non ſit, & æquale? Nam ſi ubiq; fuerat ſimilitudini ſatisfaciendum, non debuerat in ædificijs negligi. Cum autem utilitas aliter heic faciendum ſuadeat, eadem & alijs in rebus pluris erit, quàm ſimilitudo, facienda. Quare ſi eam ſine ſimilitudine poſſumus conſequi, ualeat ſimilitudo, uigeat utilitas. Alij uerò locum ſic intellexerant, quaſi dixiſſet Varro, Non'ne uidemus habere atriũ περιςύλȣ ſimilitudinem, &c. qui profectò ſenſus ab illius ſententia abeſt longiſsimè. Nam *quid non*, dixit pro Cur nõ: ut cum dicimus, Quid ni? Sed nunc ad aliũ accingamur locum, quẽ ijdem illi ne Sibyllæ quidem peruium, auſint affirmare. Cum igitur Dianæ nominis originem tradit lib. quarto, ſic ait: *Quòd*

Quòd in altitudinem & latitudinem ſimul, Diuiana appellata. Duplicem heic indicat Lunæ motum: alterum in altitudinem, propter abſidem, quam uocant: alterũ in latitudinẽ, Eclipticæ uidelicet, cuius latitudo propter planetarum euagationes eſt inſtituta. Itaq; propter duas uias uult eam dici Diuianam, atq; hinc Dianam: quaſi Biuianam diceret. Atq; eodem ferè modo Triuiã uult eandem lib. ſexto uocari, quoniam tribus uijs in cęlo moueatur. Quæ cum ita ſint perſpicua, quis neget, etiam doctiſsimos aliquando cæcutire uiros?

Euripides in Andromacha reſtitutus.
Cap.17.

CVm apud Hermionam Andromacha ſe excuſare uellet, quærit ex ea, qua 'nã re fretam ſe putet ex mariti conſortio uelle ipſam eijcere? Ac primùm proponit urbis & conditionis ſuæ ſtatũ, num eo putaret ſe efferri, quaſi patriam haberet, ac libertatem ſaluam. Verba hæc ſunt:

ὡς ἡ λάκαινα τῶν Φρυγῶν μείων πόλις
τύχῃ θ' ὑπερθεῖ, καί μ' ἐλευθέραν ὁρᾷς.

in quibus quidem urbium facta eſt metatheſis: cũ non potuerit urbs Spartana ſimul & *μείων* eſſe, & *τύχῃ ὑπερθεῖν*: nam qui hoc poſtremũ exponunt per Cedere, nimis falluntur. Quocirca ſic eſt legendus prior uerſus,

ὡς τῆς λακαίνης ἡ φρυγῶν μείων πόλις.

nec aliter Scholiaſten legiſſe uideo. Quęrit igitur Andromacha, nũ urbs Troiana, quæ ſit longè minor, Spartanę fortunam uincat, atq; ipſa ſit libera, ideoq; pellicem ſuam de mariti toro conetur reuellere. Deinde cum Hermiona Andromachæ infenſa, minaretur fore, ut, niſi ultrò ab ara diſcederet, ipſam ibidem combureret, ac trucidaret: reſpondet illa,

σφάζ' αἵματος θεᾶς βωμὸν, ἢ μέτεισί σε.

qui locus integer eſſe non poteſt, ut facilè cuiuis apparet. ac ne longum faciã, ita eum caſtigandum credo:

σφάζ' αἷμα πρὸς θεᾶς βωμὸν, ἢ μέτεισί σε.

ſic etenim facilis erit atq; aperta ſententia. Deniq; Andromacha cum dolis Menelai callidè eſſet ab aris abducta, ut abſq; piaculo trucidari poſſet, interrogat eum, nũ iſta ſit Spartanorum & Eurotæ accolarum aſtutia ſeu prudentia. reſpondet Menelaus,

καὶ τοῖσγ' ἐν τροίᾳ, τοὺς παθόντας ἀντιδρᾶν.

quem uerſum alij ſatis ineptè ſunt interpretati, cum uicium, ut ſæpe, non animaduerterent. uerùm ita corrigendus uidetur,

καὶ τοῖσγε τροίᾳ, τοὺς παθόντας ἀντιδρᾶν.

Etiam Troiani, inquit, norunt ijs, à quibus uel benè uel malè ſunt accepti, pares uices rependere. nam σοφὸν eſt ἀπὸ κοινοῦ repetendum.

Quod

Quod autem ad dictionẽ attinet, ei ſimilis paulo pòſt ſequitur in Andromachę uerbis:

ἐπεὶ σὺ μὲν πέφυκας ἐν σπάρτῃ μέγας,

ἡμεῖς δὲ τοιοίγε. & adhuc dubitamus?

Virgilij locus, & alter Tibulli declaratus. Cap.18.

VEhementẽ animi in rem aliquã intentionẽ, curamq́ mentis acriorem ſolere plerunq; ſomnum aliquandiu impedire, & experimento compertũ eſt, & ratione cauſaq́ ſua non caret. Tum etenim, ut phyſici tradunt, ſpiritus uitales in cerebro agitati, calorem à uentriculo prohibent: in quem ille receptus, ſomnum creditur efficere, uaporibus in cerebrũ ſublatis, quibus motus ac ſenſus omnis ſopiatur. Hinc eſt, quod de Aenea inquit Virgilius lib. decimo:

Aeneas (neq; enim membris dat cura quietem)
Ipſe ſedens, clauumq; regit, uelisq; miniſtrat.

Tibullus quoq; in elegia, qua ſomnium ſuum exponit, ita de ſe loquitur:

Iam nox æthereum nigris emenſa quadrigis
Mundum, cæruleo lauerat amne rotas:
Nec me ſopierat menti deus utilis ægræ
Somnus. ſolicitas deficit ante domos.

Id enim uult innuere, ſe, cum ſolicitus eſſet atq; anxius, multisq; curis torqueretur, maiore noctis parte ſomnũ capere non potuiſſe, Quocirca mirari ſatis nequeo, cur uir hu

ius ætatis facilè doctiſsimus, hunc locum ſic interpretandum duxerit: Qua hora ego nõdum ſomnum uideram, ea hora in domibus ſolicitis, id eſt, quas incolunt naui & induſtrij homines, nemo amplius dormit. Hæc expoſitio, quod pace tanti uiri dixerim, tam eſt frigida & inepta, ut, quod ipſe de Volſcó dixit alicubi, ſi fatuis & inſulſis declarationibus præmiũ aliquod poſitũ eſſet, id ſine controuerſia iure ſuo poſſet auferre. Sed illud penè omiſeram, Tibulli uerſus non incommodè ſic etiam diſtingui poſſe:

Nec me ſopierat menti deus utilis ægræ:
Somnus ſolicitas deficit ante domos.

Neq; abhorret hinc illud Propertij per ſimilem occaſionem prolatum:

Atq; hoc ſolicitum uince ſopore caput.

Theocriti Ara expoſita, & emendata.
Cap.19.

LIbenter admodùm ac meritò facere mihi uideor, ut præceptoris mei, I. Aurati (cui cùm omnes literarũ ſtudioſi multum, tum ego plurimum debeo) memoriam grata & honorifica mentione ſæpe recolam: partim propter inſignẽ eius eruditionem, ac diuinam ingenij uim: partim quòd primus ipſe nos ad hoc ſcriptionis genus capeſſendum hortatus eſt, quo tum noſtras, tum ipſius obſeruationes quaſdã & inuenta po-

ſteris

ſteris proderemus. Ac eorum alia quidem alias: nunc Theocriti epigramma quoddã, quod *Βωμὸς* inſcribitur, ac Troili epitaphiũ continet, ab illo emendatum ſimul & explicatum dabimus: non iniucundam ſperantes fore ſtudioſis eius carminis expoſitionem, quod à nemine adhuc *οὐδ' ἐν ὀνείρῳ* (quod aiunt) intellectum fuit. Id autem ut fiat commodius, ipſum epigramma primùm, ſicut in editionibus legitur, deſcribemus, additis ad marginem ſingulorum locorum emendationibus: deinde Latinè ad uerbũ, quam fieri poterit facillimè, uertemus: tum commentariolo quodam breuiter & perſpicuè declarabimus: deniq; pro auctario carminũ dimenſionem & ordinem de noſtro addemus. Epigramma quidem ipſum ſic habet;

εἰμ' ἄρσενος a μοι ςήτας — a μιστὴς
b πόσις μέροψ δίσαβος — b ὁ δύσμο-
σποδεύνας ἶνις ἐμπούσας c μόρος — ρος δύσαβος
ὁ Βούτα καὶ κυνὸς d τεκνώματος — c κόρος
χρυσοῦς αἴτας, ἅμος ὅσ' ἄνδρα — d τέκνωμα, τὸν
τὸν e γηόχαλκον οὖρον, — e γυόχαλκο
ἔρραισεν, ὃν f ἀπάτωρ — f ἀπάτωρ
g δίσευνος μόρησε μη- — g δίσευνος
τρόρριπτος. ἐμὸν ᾗ τοῦ — h γμ' ἀθρό-
h γμα θρήσας θεοκρίτοι — σας
ὁ κτάντας, τριεσπέροι-
ο καύτας, αἶξεν ἀ-

e ναύξας.

ναύξας. χάλεψε γὰρ
νιν ἰῷ σύργαστρος ἐκ-
δὺς γῆρας. τοῦ δ᾽ ἐλινευῶν-
τ᾽ ἐν ἀμφικλύστῳ, πανός τε
ματρὸς εὐνέτας, φὼρ δίζωος, ἰ-
iiij νὶς ἀνδροβρώτος ἰλισπαίστας, τὴν ἀρ
δίων ἐς τὴν χεῖρα δ᾽ ἄγαγε τρίπορθον.

Interpretatio.

Sum uiri oſor, infelix puber, in cinere cubans iuuenis, Empuſæ gnatus, bubulci & canis filius: quẽ aureus perdidit amaſius, quando uirũ accẽdi, ferreis præditũ membris ducẽ, quẽ frater, duarũ uxorũ maritus, à matre abiectus occidit. Meũ uerò monumentũ cõſiderans Dearũ iudicis interfector, Trinoctis uſtor, exilijt cũ clamore. nã læſerat eum ueneno ſerpẽs, depoſita ſenectute. Illũ autẽ in inſula hẹrentẽ, Panis matris cõiux, fur bis natus, & hominũ uoratoris filius, Troiæ populator, ſagittarũ gratia in Teucriam ter captã deduxit. Nũc ad expoſitionẽ huius epitaphij ꝓgrediemur, ſi prius argumentũ breuiter perſtrinxerimus. Troilus Hecubæ F. cũ ab Achille amaretᷣ, nec ei copiã ſui facere uellet, ideoq; in Apollinis templũ cõfugiſſet, ad eius arã ab Achille trucidatus eſt (qđ etiã tradit Lycophrõ) & ibidẽ poſtea ſepultus. Philoctetes deinde, cũ hoc ſepulcrũ attẽtius fortè cõſideraret, à ſerpẽ te q ſub ara latebat,

latebat, morſus eſt. Atq; hæc ferè ſunt, quæ Troilus ipſe in hoc epigrammate partim de ſe, partim de Philoctete narrans inducitur. *Viri*] Achillis, à quo fuit occiſus. Lycophrō,

πρὸς τοῦ δαμέντος αὐτὸς ὁ τετρωμένος,
καρατομηθεὶς, τύμβον αἱμάξεις πατρός.

Empuſæ] Hecubæ, quæ poſt captam Troiam in canem, ſeu ſpectrum quoddam caninum fuit mutata. Lycophron,

βρίμω τρίμορφος θήσεταί σ᾽ ἐπωπίδα
κλαγγαῖσι ταρβήσουσαν ἐννύχοις βροτούς.

Bubulci] Apollinis. nā boues Admeti quondā pauit. *Canis* rurſum dicitur Hecuba. *Aureus amaſius*] Achilles flauus. *Accendi*] amore mei. Lycophron,

ὅς᾽ ἄγριον δράκοντα πυρφόρῳ βαλὼν
ἴυγγι τόξων——

Ferreis] tam fortē, ut ferreus uideretur. *Frater*] Paris, qui duas habuit uxores, Oenonē nympham, & Helenam: & mox ut natus erat, expoſitus fuit, ſecūdum omen ſomnij: & Achillem deniq; in templo Apollinis Thymbræi iaculis confixit. *Dearum iudicis*] Paridis, quē ſagittis interfecit Philoctetes: qui & Herculis, quem tribus noctibus generauerat Iupiter, pyrā in Oeta ſuccendit. *Inſula*] Lemno, ex qua Troiam delatus fuit, poſteaquam ſagittis ipſius ad expugnandū Iliū erat opus. *Matris*] Penelopes, quę Panē

ex Mercurio, uel è procis, ſecundum alios, concepiſſe dicitur. Eius coniux fuit Vlyſſes, quem furem uocat, quòd Palladium ex arce Troiana ſubripuerit: bis natum, quòd à Circe, cum ipſum Telegonus F. occidiſſet, reſuſcitatus fuerit. *Hominũ uoratoris*] Achillis, qui partim homines multos uiuus occiderat, partim etiã poſt mortem Polyxenam ſibi mactari iuſſerat. *Teucriam*] Troiã, quæ primò ab Amazonibus, deinde ab Hercule, poſtremò à Græcis capta eſt, & exciſa. Atque hæc hactenus. reſtat nunc, ut epigramma ipſum, prout carminis ratio poſtulat, ordine deſcribamus: in quo quidem emendatam lectionem ſequemur.

εἶμ' ἄρσενος μισητής,
ὁ δύσμορος δύσαιβος,
ἀποδοῦνας ἶνις ἐμπτοῦσας κόρος,
ὁ βοῦται καὶ κυνὸς τέκνωμα, τὸν
χρυσοῦς ἀΐτας, ἆμος δοῦσ' ἄνδρα
τὸν γηόχαλκον οὖρον, ἔρραισεν·
ὃν ὁ πάτωρ δίσδουνος
μόρησε μητρόρριπτος.
ἐμὸν ἢ τοῦ γμ' ἀθρήσας
θεοκελτίοιο κταύτας,
τριεσπέροιο καύτας
ἀΐξεν αὖ αἴξας.
χάλεψε γάρ νιν ἰῷ
σύργαστρος ἐκδὺς γῆρας.

τὸν δ

τὸν δ' ἐλινεῦντ' ἐν ἀμφικλύστῳ
πανός τε ματρὸς εὐνέτας, φὼρ
δίζωος, ἶνις τ' ἀνδροβρῶτος
ἠλιοραΐστας ἀρδίων ἦρ
ἐς τευκρίδ' ἄγαγε τρίπορθον.

Illud addam, τὸν δωσιάδα βωμὸν à Luciano citari in Lexiphane, tãquam poema obſcurũ. qua de re lectoribus amplius cogitandum relinquo. Doſiades quidem à Plinio nominatur.

Transformationum Ouidij ſeries compendio excerpta. Cap.20.

ARbitror equidem multis, cum Ouidij Trãsformationes legunt, idem, quod mihi ſæpe, contingere, ut perpetuam illam & nunquam interruptam narrationum tam uariarum connexionem ſatis admirari nequeant: quodq; in hoc opere Poeta tam cõuenienter propoſito ſuo, à prima mundi origine ad ſua uſq; tempora, perpetuum carmen artificioſisſimè deducat. Quæ ſanè res ita me ſemper delectauit, ut temperare mihi tandem non potuerim, quin, opere toto ſemel peruoluto, ordinis rationem per ſingulas fabellas conſiderarem, atq; adeò totum librum quaſi in epitomen quandam redigerem: ut, quam è partibus ſingulis antè uoluptatem ceperam, eam pòſt è toto poemate breuiter ſub oculos poſito, longè pleniorem

niorē percipere, & Poetæ ingeniū ut in alijs reb. multis, ita in hac præcipuè, non uulgare fuiſſe deprehendere. Huius porrò uoluptatis fructū ut cum alijs etiā, nec inuitis fortaſſe, cōmunicemus, uiſum eſt hoc loco Trāſformationes Ouidij, quā breuiſsimè fieri potuit excerptas, lectori tanquā in tabella ſpectandas proponere, earūq; methodū omnē quaſi digito cōmonſtrare. Ea uerò talis eſt.

Principiò Chaos in elementa quatuor diſtinguitur: quibus cum ſui darentur ſin-
Liber 1. gulis incolæ, homo ex terra & aqua creatus eſt. Secutæ ſunt ætates hominum quatuor: in quarum poſtrema de Gigantum ſanguine nati ſunt homines: qui cum eſſent impij, Iupiter, quamuis antea Lycaonem in lupum mutarat, generali nihilominus ſupplicio diluuium inducens, in aquam omnia conuertit. Heic ſoli relinquuntur ſuperſtites Deucalion & Pyrrha: qui poſt redditā terram, iactis poſt terga lapidibus, humanum repararunt genus. Nam reliqua quidem animalia ſponte ſua ex humore & calore prodierunt. in his etiam Pytho ſerpens, quem cum Apollo interemiſſet, Pythios ludos in rei memoriam inſtituit, quibus uictores æſculea corona donabantur. Nondum enim extiterat laurus, donec in eam Daphne puella fuit cōuerſa. Quod cū

accidiſſet, tum ad patrem eius, Peneum, reliquis fluuijs ſiue congratulandi, ſiue etiam conſolandi gratia congregatis, ſolus deſideratus eſt Inachus, quòd de filia Ione ſolicitus eſſet, quam Iupiter poſt ſtuprum in iuuencam commutarat. Ea cum ab Argo cuſtodiretur, hunc Mercurius, narrata prius nymphæ Syringis in arundinem transformatione, occidit: cuius oculi deinde à Iunone in pauonem collati fuerunt. Tum Io priſtina mulieris forma recepta, Epaphum parit. Qui cum aliquando Phaethonti Apollinem, ut falſum ac ſuppoſititium patrem, obiecíſſet: ille currus Solaris imperium in diem unum à patre in pignus ueræ ſtirpis petijt. quo impetrato, terra ab eo tota accenditur, & inter cetera nigreſcunt Aethiopes. Phaethontem deinde fulmine percuſſum dum lugent ſorores, & unà cognatus Cycnus: illæ in arbores, hic in cygnum mutatur. Tum Iupiter luſtrato terrarum orbe, ac priſtino uigori reſtituto, in Caliſtonem incidit, eamque ſumta Dianæ forma ſtuprauit. Ob id irata Iuno Caliſtonē in urſam conuertit: quam poſtea Arcas F. transfixurus fuerat, niſi utrunque Iupiter inter ſidera retuliſſet. Qua de re cum apud Oceanum Iuno conqueſta eſſet, in cælum relata fuit humeris pauonum, qui nuper uariati fuerant, ſi- *Lib. 2.*

cut & coruus nuper ex albo niger erat redditus, cum Cornicis monitis, quæ illi tum ſuam in cornicem, tum Nyctimenes in noctuam mutationem explicarat, non obtemperaſſet: uerùm audacter Coronidis adulterium ad Apollinẽ detuliſſet. Eius deinde filio Aeſculapio, dũ futurą prędicit Ocyroe, in equam ira diuina uertitur. Tum Chiron pater, Apollinis auxiliũ fruſtra inuocauit: quòd ille iam in Elide paſtor factus, aliud ageret, neglectis etiã bubus. id quod Mercurio furandi occaſionem dedit: qui deinde Batti (is erat ſolus furti conſcius) perfidia ſe commutando deprehenſa, ipſum in indicẽ lapidem conuertit. Inde in Atticam ingreſſus, Herſe, Cecropis F. potitur. Cui dum inuidet ſoror Aglaurus, in ſaxum obrigeſcit. Poſtea Iupiter, cum ipſum boues Agenoris ad litus aduertere iuſsiſſet, ſumta tauri ſpecie, Europam per mare in Cretam tranſ-
Lib. 3. uexit. Heic Agenor Cadmum iubet filiam amiſſam inueſtigare. Quod dum ille facit, è dentibus draconis occiſi ſatis enaſcuntur homines: cum quibus ille deinde Thebas condidit. Huic primùm ualdè luctuoſa fuit nepotis Actæonis in ceruum mutati dilaceratio: quamuis Iunoni grata fuerit, quæ Semelen pellicem oderat: ideoq; ad ipſam facie Beroes nutricis accedens, mortem illi

procu-

procurauit. Paulo pòſt Iupiter cum Iunone
diſputans, utra ſit Venus ſuauior, Tireſiam
adhibet arbitrum: quandoquidem ſexum
utrunq; fuerat expertus. Is lata contra Iu-
nonem ſententia, ab illa quidem uiſu priua-
tus, à Ioue autem uaticinandi ſcientiam con
ſecutus eſt. Primum huius oraculum in Nar
ciſſo comprobatum fuit: qui cum puellas
omnes, inter quas & Echo præ amoris im-
patientia fuerat in uocem cõuerſa, contẽſiſ-
ſet, ſui ipſius deniq; amore contabeſcens,
flos factus eſt. Pentheus tamen uatem hunc
irridebat, quanquam & ipſi uera prædixe-
rat. Nam cum Bacchi celebrarentur Orgia,
ille famulum quendam ſacrorum, poſtquã
nautas in piſces fuiſſe transformatos intel-
lexerat, in uincula coniecit: atq; inde fuit à
Bacchis diſcerptus. id quod magnam apud
omnes fidem ſacris conciliauit. Alcathoe ta 4
men, unà cum ſororibus, conſtanter ea con
tẽnebat, ſic ut feſto die uarias ad colum hi-
ſtorias illæ inter ſe narrare cœperint, par-
tim de moris denigratis, partim de Apolli-
ne in Eurynomẽ uerſo, ut cum Leucothoe
concumberet, quam ob rem Clytie zeloty-
pa fuerit in heliotropium mutata: partim e-
tiam de Hermaphrodito & Salmacide nym
pha, in unum corpus concretis. Quo facto,
ſorores ipſæ in uerſpertiliones, earumq; te-

lę in uitem & pampinos transformatę ſunt.
Hac de re cum Agaue lætaretur, magnus ei
dolor oblatus eſt, cum Ino atq; Athamas in
mare per inſaniam proſilierunt, factiq; ſunt
dij marini. Quos dum Thebanæ mulieres
deplorant pro mortuis, in ſaxa & uolucres
commutantur. Cadmus quoq; hac calamita
te commotus, relictis Thebis, in Illyriam
cum uxore profectus eſt: ubi uterq; angui-
neam formam accepit. Solus ergo reſtabat
de Bacchi cõtemtoribus Acriſius, auus Per
ſei, qui Gorgonis caput amputauit, é cuius
guttis in terrã delapſis angues exorti ſunt:
& Atlantem in montem, uirgasq; poſt An-
dromedam liberatam in lapides conuertit.
Orto deinde in nuptijs tumultu, Phineum
cum ſuis, unaq; Prœtum & Polydecten, ſa-
5. xeos reddidit. Tum Pallas, quæ hactenus
comes fuerat, ipſo relicto, in Heliconem ſe
confert, ut Hippocrenen inſpiciat. Ibi nar-
rant illi Muſæ de Pyreneo & Pieridibus in
picas conuerſis, poſtquam cantu de uarijs
transformationibus inſtituto cum ipſis cõ-
6. tendiſſent. Quo exemplo mota Dea, ſe anũ
fecit: itaq; inito cum Arachne texendi cer-
tamine, poſtquam utriuſq; tela multas trãſ-
formationes repræſentauit, ipſam in araneã
mutauit. Nihil tamen hoc Nioben mouit,
quo minus, amiſsis liberis, in ſaxum obdu-
reſceret.

reſceret. Quo quidem cognito, uulgus Ly-
cios ruſticos in ranas à Diana uerſos, &
Marſyam ab Apolline excoriatum, in me-
moriam reuocauit. Cumq; ad conſolandos
Thebanos urbes finitimæ conueniſſent, ſo
li defuerunt Athenienſes, quoniã à Tereo
rege infeſtabantur: qui deinde ſtuprata Phi
lomela, in upupã transformatus fuit, quem-
admodum & Philomela in luſciniam, ac
Procne in hirundinem. Quæ res Pandioni
ſocero intellecta, mortem attulit. Huic in re
gno ſucceſsit Erechtheus, è cuius filia Ori-
thyia Boreas Calain procreauit, & Zethen:
qui in Argonautarum numero quondam 7
fuerunt, cum Iaſon, ſeminatis ſerpentis den
tibus, è quibus homines armati prodierunt,
ac dracone ſopito, uellus aureum retulit. Is
poſtquam domum cum Medea rediijt, Ae-
ſoni illa iuuentutem reddidit, eandemq; Pe
liæ quoq; pollicita, præmiſſo arietis in a-
gnum reformati ſpecimine, dolo eum occi-
dit. Inde per uaria loca multis inſignia trans
formationibus delata, poſt occiſos liberos,
Aegeo nupſit. Contra hunc poſtea bellum
mouit Minos, collectis undiq; copijs, ut &
è Paro: quam cum Arne quondã prodidiſ-
ſet, in monedulam fuerat conuerſa. At Aea-
cus ab Aegeo ſtetit, & ad eum Myrmido-
nes ſuos, è formicis ortos, auxilio miſit, du-
ce Ce-

ce Cephalo:qui olim uxorem ſuam,mutata ſibi forma,in adulteriũ pellexerat,canemq́ ſuum ſimul cum uulpe in ſaxa conuerti ui-
8. derat. Minos interim Alcathoen obſidet: qua capta,Niſus in haliæetum, & Scylla in cirin fuêre tranſlati.Hinc in Cretam ille reuerſus eſt,ubi Minotaurus labyrintho erat incluſus:quem cum Theſeus de medio ſuſtuliſſet, cum Ariadne in patriam rediens, eam in itinere dereliquit.Tum eã Bacchus aſſumſit, eiusq́ coronã inter ſidera colloca uit.Icarus uerò, cũ ex inſula conaretur poſt patrem euolare,ſubmerſus eſt: eiusq́ exequias celebrantem patrem uidit perdix, è Talo nuper transformata.Theſeus interea, cum ualdè celebris iam eſſet, ad aprum Calydonium,cuius interfectore ſublato,ſorores eius in Meleagrides aues mutatæ ſunt, fuit cõuocatus. Inde ad Acheloum diuertitur,& Echinades inſulas conſpicit, in quas Naiades erãt cõuerſæ. Quod ita fieri potuiſſe, Lelex primùm Baucidis & Philemonis probat exẽplo,qui in arbores fuerint cõmutati: ſicut & domus ipſorum in templum,ac pagus ipſe in ſtagnum. Achelous deinde, Protei & Meſtræ transformationes adijcit, ac ſuas deniq́, quibus uſus quondam fuerat, cum ipſum premeret Hercules, gratia
9. Deianiræ,Hęc illi poſtea ueſtem miſit,qua
perijt,

perijt, poſtquam Lichas in ſcopulum fuit
translatus: & in cælum traductus eſt. Tum
Alcmena ſe ad Iolen contulit: eiq; Galanthi
dem in muſtelam, & illa uiciſsim ſororem
ſuam in arborem conuerſam narrauit. Inte-
rim ſuperuenit ipſis Iolaus, reparata per He
ben iuuentute. Id quod non poſſe omnibus
contingere, Iupiter Aeaci docet exemplo.
Hunc fugiens Miletus, in Aſiam diſceſsit,
& Byblidem procreauit, atq; Caunũ: cuius
illa deſiderio tabefacta, in fontẽ perijt. Quæ
quidem res magis mira cunctis uiſa fuiſſet,
niſi paulo antè Iphis, ipſo nuptiarum die, ui
rilem ſexum accepiſſet. His porrò nuptijs 10.
qui interfuerat Hymenæus, ad Orpheum
inde ſe contulit, ſed malo omine: quando-
quidem obijt mox Eurydice, & poſtea ſe-
cundò: cum quidem non aliter obſtupuit
Orpheus, quàm qui Cerbero conſpecto ſa-
xeus eſt effectus. Poſtea cum in monte quo
dam diuerſas transformationes lyra expri-
meret, accurrerunt arbores omnes, & inter
ceteras pinus ex Aty, & cupreſſus è Cypa-
riſſo mutata. Hinc Thraciæ mulieres, cum 11.
illum diſcerpſiſſent, in arbores mutatę ſunt.
Tum Bacchus è Thracia receſsit, & Midæ
pro Sileno reſtituto auri copiã fecit: cuius
cum illum pœniteret, in Pactolo lotus, are-
nas eius aureas reddidit. Poſtea Phœbus

pro

pro iniquo iudicio aures illi aſininas tribuit. Quo facto, Troiæ mœnia, humanam indutus formam, extruxit. Hanc urbem poſtquam cepit Hercules, Heſionam Telamoni uxorem dedit, quandoquidem Peleus iã Thetidem poſt multas eius transformationes duxerat, & ad Ceycẽ poſtea profectus, Dædalionem in accipitrem, & lupum in lapidem conuerſum partim intellexerat, partim ipſe uiderat. Accidit deinde, ut Alcyone marito poſt naufragium ſub Morphei figura ſecundum quietem conſpecto, in auem, ſicut & maritus, mutaretur. Quos in aere uolantes cum animaduertiſſent quidam,
12. Aeſacum quondam in mergum, qui tũ forte aderat, meminêre transformatum. Huic tum Priamus pater, tanquam mortuo, funus fecit unà cum filijs: excepto tamen Paride, qui in Græciam profectus erat: quemq́ꝫ deinde perſecuti Græci, draconem Aulide lapideum uiderunt redditum. Inde Cycnus ab Achille occiſus, in auẽ uertitur, cum inuulnerabilis fuiſſet: ut & Cænis, olim in Cęneum, pòſt in auem commutata. Quod cũ narraſſet Neſtor, Periclymeni quoq́ꝫ tranſ-
13. formationes adiũxit. Neptunus deinde Achilli mortẽ procurat: de cuius armis Aiax & Vlyſſes poſt mortem contendunt. Aiace uerò hac de cauſa mortuo, ſanguis eius in

hiacynthum

hiacynthum uertitur. Capta iam Troia, He
cuba fit canis. cuius fortunam cum dij om-
nes deplorarent, Aurora ſola Memnonem
duntaxat, auem iam factum, lugebat. Aene-
as porrò profugus ad Anium, cuius filiæ in
columbas erant conuerſæ, aliaq; deinceps
loca transformationibus clara, delatus eſt. 14.
In Latium deniq; ut uenit, bellum cum Tur
no ſuſcepit. Is per Venulum petens auxiliũ
à Diomede, cuius ſocij in aues fuerant mu-
tati, repulſam tulit: redeunte Venulo per ea
loca, in quibus paſtor quondã in oleaſtrum
erat cõuerſus. Poſtea naues Aeneæ in prœ-
lio Nymphæ fiunt: ſicut & Ardea poſt occi
ſum Turnum, auis: atq; Aeneas ipſe, Indi-
ges. Succeſſerunt huic reges alij, quorũ in-
ter ceteros ſub Proca floruit Pomona: quã
cum amaret Vertũnus, ſumta primùm anus
forma, & Anaxaretes in ſaxum conuerſę e-
xemplo uſurpato: deinde rurſum iuuenis fa
ctus, uoto potitur. Inde ſub Numitore aquę
frigidæ redduntur calidæ. Cui qui ſucceſsit 15.
Romulus, factus eſt Quirinus: eiusq; uxor,
Ora dea. Secutus eſt Numa. qui cum in ori-
gines Crotonis inquireret, nigros calculos
quondam in albos fuiſſe commutatos com
perit: & Pythagoram de perpetuis rerum
transformationibus diſputantem audiuit.
Mortuum deinde Numam deflens Aege-

ria, nec Hippolyti, qui ſuas ipſi conuerſiones proponebat, cõſolationem admittens, in fontem liqueſcit. Id quod non minus fuit mirandum, quàm quòd Romuli lancea arbor, aut Cippus factus eſt cornutus. Iul. Cæſar deniq;, in ſtellam poſt obitum commutatus fuit.

GVLIELMI CANTERI NOVARVM LECTIONVM Liber ſecundus.

Simonidis epigrãma tribus in locis, & alterum Antipatri correctum. Cap. I.

Simonidis epigramma præclarũ, quod aræ Iouis Liberatoris ſeu Seruatoris, poſt uictoriam Plataicam erectæ Græci inſcripſerunt, in Epigrammatibus Græcis legitur lib. ſexto plenè quidem, ſed corruptè: legitur autem & apud Plutarchũ duobus in locis, in Ariſtide, & in extremo περὶ τῆς ἡροδότου κακοηθείας, mutilè quidem, uerùm correctius. Nos igitur collectam ex tribus ueram Epigrammatis lectionem proponemus, tria ſimul emendaturi loca.

τόνδε πόθ' ἕλληνες νίκης κράτει, ἔργῳ ἄρηος,
εὐτόλμῳ ψυχῆς λήματι πειθόμενοι,
πέρσας ἐξελάσαντες, ἐλευθέρα ἑλλάδι κοινὸν
ἱδρύσαντο διὸς βωμὸν ἐλευθερίου.

Primum

Primum ac tertium carmen in Plutarcho rectius, quàm in Epigrãmatibus, legebatur: at in his rurſum ſecundum, quod in Plutarcho totum deerat, reperiebatur. poſtremum autẽ omnes tres habebant codices. Iam ſi quis hoc epigramma Latinè fortè cupiat legere, noſtram ſubijciemus, quamuis ſubitam, uerſionem.

Hanc Græci quondam uictores Marte cruento
Aram, confiſi robore magnanimo;
Eiectis Medis ac libertate recepta,
Heic Seruatoris conſtituêre Iouis.

Quin etiam Antipater inter eos qui Græca conſcripſerunt epigrammata, non poſtremus à doctis cẽſetur: ac mereri uidetur, ut ipſius carminibus opem, cum requirunt, quantum licet adferamus: ut nunc in quodam eius epigrammate facturi ſumus, quod extat libro 3. in obitum Artemidori pueri hoc modo conſcriptum:

τοῦτό τοι ἀρτεμίδωρε τεῷ ἐπὶ σώματι μήτηρ
ἴαχε, δωδεκέτη σὸν γοάουσα μόρον.
ὤλετ' ἐμᾶς ὠδῖνος ὁ πᾶς πόνος εἰς πόνον, εἰς πῦρ·
ὤλετο πιμμενέος γειναμένου κάματος.
ὤλεθ' ἁπουλυθής μοι τέρψις σέθεν· ἐς γὰρ ἄκαμπτον,
ἐς τὸν ἀνόστητον χῶρον ἔβης ἐνέρων,
οὐδ' ἐς ἐφηβείην ἐλθών, τέκος. ἀντὶ δὲ σεῖο
στάλα καὶ κωφὰ λείπεται ἄμμι κόνις.

Horum carminum tertium ita reſtituẽdum puto,

ὤλετ' ἐμᾶς ὠδῖνος ὁ πᾶς πόνος εἰς ἀπόδον, εἰς πῦρ.

Elegans uerbi Poſſum uſus explicatus.

Cap.2

VEnuſtũ ſanè apud poetas uſum habet uocabulum Poſſum, quãdo cum alijs uerbis coniunctum, eorum uicem periphraſticè implet: ut cum potuiſſe aliquem dicere uel facere aliquid, pro Dixiſſe uel Feciſſe ſcribunt. id quod exemplis eſt comprobandum. Virgilius primùm Silenum in Sileno ſic inducit loquentem:

Soluite me pueri, ſatis eſt potuiſſe uideri.

Deinde Aeneidos primo ſic Venus,

Antenor potuit medijs elapſus Achiuis
Illyricos penetrare ſinus. —— & ſeptimo Iuno,
Aſt ego magna Iouis coniux, nil linquere inauſum
Quæ potui infelix. pro, nihil inauſum reliqui. & ultimo Turnus,

Miſeri te ſi qua parentis tangere cura poteſt.

Iam Ouidius hac loquendi figura tam crebrò utitur, ut eam ſtudioſiſsimè uideatur affectaſſe. ſiquidem ipſius hæc ſunt,

Lib.1. *Sanctius his animal, mentiſq; capacius altæ,*
Deerat adhuc, & quod dominari in cetera poſſet. &,
Si qua domus manſit, potuitq; reſiſtere tanto

Indeiecta

Indeiecta malo. ——&,

Sed leue ſi munus ſociæ generiſq; toriq;
Vacca negaretur, poterat nō uacca uideri. &,
Poſſe mori cupies. &, ——*tempuſq; ſubibat,* 2.
Quod tu nec tenebras, nec poſſes dicere lucē. &, 4.
Sæpe lapis poteras, arbor quoq; ſæpe uideri. 8.

Plura qui deſiderat huius autoris exempla, nullo negocio reperiet. Statius quoq; hac phraſi uſus eſt, cum de Capaneo dixit, ——

——*paulum ſi tardius artus* 10.
Ceſſiſſent, potuit fulmen meruiſſe ſecundum.

Quin & Martialis hunc lepôrem ſecutus, dixit in Taurum,

Eia age rumpe moras, quò te ſpectabimus uſq;? 2.
Dū quid ſis dubitas, iā potes eſſe nihil. & alibi,
——*poſſem niſi munus amare* 10.
Marce tuum, poteram nomen amare tuum.

Iuuenalis quoq;,

Antoni gladios potuit contemnere. ——Claudianus etiam,

Auguſti potuit ſoceri contemnere faſces.

Propertius extremo tertio,

Et de me poterat quilibet eſſe loquax. & iterum uerſu ſequenti,

Quinque tibi potui ſeruire fideliter annos. Tibullus,

Hūc fore, Aquitanas poſſet qui fundere gentes. 1.
plautus Moſtellaria,

Nimio ædepol ille potuit expectatior

Venire, qui te nunciaret mortuum. Horatius tertio Carminum,

——ſtet Capitolium
Fulgens, triumphatisq́; poſſit
Roma ferox dare iura Medis. & iterum:
Impiæ ſponſos potuêre duro Perdere ferro. & ad Piſon. deniq;:
—— quid ſuperat? poteras dixiſſe, triens. Lucretius:
——omnia quando
Seminibus certis, certa genitrice creata
Conſeruare genus creſcentia poſſe uidemus.

Hæc paulo ſtudioſius congeſsimus, ut liquidò cunctis huius dictionis uenuſtas appareret.

Orphei uerſus, qui hactenus deſiderabantur, editi. Cap.3.

ORphei qui circumferuntur hymni, tametſi à paucis recipiuntur, mihi tamē propter antiquitatē & elegātiam ſuam ualdè placuerunt ſemper, ut & alijs nonnullis, qui in his etiam non parua naturalis Magię myſteria putant latêre. Quocirca ſtudioſe feci, dum in Gallia uerſabar, ut exemplar Orphei manu ſcriptum è bibliotheca C. V. Henrici Memmij, Senatoris Regij, nactus, cum impreſsis conferrem. qua quidem in re ſatis præclarè mihi conſtitit operæ meæ fructus. Nam inter cetera uerſus etiam aliquot, qui

qui hactenus deſiderati fuerant, annotaui: quos nunc in medium proferre decreui. Primùm igitur in Hecatæ ſuffimine uerſus,

περσίαν σκυλακῖτιν ἀμαιμάκετον βασίλειαν,

è duobus conflatus cum ſit, ita diuidendus uenit:

πέρσειαν, φιλέρημον, ἀγαλλομένην ἐλάφοισιν,
νυκτερίαν, σκυλακῖτιν, ἀμαιμάκετον βασίλειαν.

Deinde in Rheæ ſuffimine, poſt uerſum, *Ἰυμπανόδουπε* &c. deeſt iſte,

μῆτερ ζηνὸς ἄνακτος ὀλυμπίου αἰγιόχοιο.

Similiter in ſuffimine Iouis Tonantis, penè ultimus uerſus eſt reponendus:

εἰρήνην τε θεὸν κουροτρόφον, ἀγλαότιμον.

Illud poſtremò tanquam *ἐπίμετρον* addam, carmen primum in Panis ſuffimine, quod mutilum legitur, ita complendum eſſe,

πᾶνα καλῶ κρατερὸν, νόμιον, κόσμοιο τὸ σύμπαν.

Ciceronis lex emendata. Cap.4

Diu me multūq; torſit difficilis atq; obſcura Ciceronis lib. tertio lex, quæ de Dictatoris iure & imperio agit: cum præſertim, qui huic remedium aliquod adferre conati ſunt, operam omnem luſiſſe uideantur. Ea lex perſcripta ſic eſt: *Aſt quando duellum grauius, diſcordiæ ciuium, eſtunto ne amplius ſex menſes, ſi Senatus creuerit.* Heic pro *eſtūto* uoluerunt quidam Et ſeditiones, uel Et conciones, reponere: quibus equidem nequaquam

aſſentiri poſſum. Illud autē prius admonendum duxerim, legē hanc de Dictatore prorſus mutilā & ἀκέφαλον mihi uideri: id quod *Aſt* particula, huic fragmento præpoſita, ſatis indicat, quandoquidem ea cum ſuperiori lege, quæ de Coſſ. tractat, cohærere nequit. Exiſtimarim igitur, id Ciceronem lege tota cōplecti uoluiſſe, ut Dictator qui creatus eſſet, ſex ad ſummum menſes magiſtratu fungeretur: niſi cum bellum grauius, aut ſeditio eſſet exorta, tum enim illi poſſe Senatus conſenſu tempus imperij prorogari. Legis porrò partem eam quę ſupereſt, ſic reſtituendam puto: Aſt quando duellum grauius, diſcordię ciuium ſunt, eſto amplius ſex menſes, ſi Senatus creuerit. Nam particula *ne*, quam heic omiſi, uidetur ex priore legis parte, quam dixi perijſſe, librariorum incuria huc eſſe translata. Cum enim in bellis & ſeditionibus maximus fuerit Dictatoris uſus, noluit, opinor, Cicero eius autoritatem diuturniorem in neceſsitate populo inuidere. Sed Obertus Giſanius, amicus noſter, atque idem homo doctiſsimus, totum hūc locum ita legit: Aſt quando duellum grauius, diſcordiæ ciuium eſcunt, onus ne amplius ſex menſes, ſi Senatus creuerit, idem iuris, quod duo Coſſ. teneto, &c. Heic Eſcunt pro erunt, Onus pro unus, antiquo more legi-

tur,

tur. Iam quæ ſequitur apud Cic. lex, parem facit equitum magiſtri poteſtatem imperio prætorio. *Aequitatem*, inquit, *quicũq; regat, habeto pari iure cum eo, quicunq; erit iuris diſceptator.* Pro *Aequitatem*, alij reponunt Equitem: ego ſanè Equitatum malim, ut minor ſimul & cõcinnior fiat mutatio. Addit deinceps: *Aſt quando Conſulis eſt, magiſter' ue populi, reliqui magiſtratus neſunto.* Qui locus itidẽ mendo nõ uacat: ſed quod leuiſsima poſsit opera tolli, ſi pro *Conſulis eſt* tribus uerbis legas Conſul is eſt. Vult enim Cicero, ut, cum iuris diſceptatio fuerit à Conſule uel Dictatore ſuſcepta, tum reliqui magiſtratus inferiores à iure dicendo ac munere gerendo abſtineant. Nam quæ annotari ſolet hoc loco uaria ſcriptura, *nec reliqui magiſtratus neſunto*, mihi quidem recipienda non uidetur.

Ambiguus Xenophontis locus excuſſus. Cap. 5.

XEnophon Athenienſis in Rep. Laconica; quam ut omnium optimam deſcripſit, poſtquam de Rege, quantam in bello poteſtatem haberet, quoq; honore afficeretur, & quomodo expeditionem auſpicaretur, diſſeruit, hæc deinde ſubijcit: ἐπειδὰν γε μὴν ἡγῆται ὁ βασιλεύς, ἢν μὲν μηδεὶς ἐναντίος φαίνηται, οὐδεὶς αὐτοῦ πρόσθεν πορεύεται, πλὴν σκιρῖται, καὶ οἱ προερευνώμενοι ἱππεῖς. ἢν δέ

ποτε μάχην οἴωνται ἔσεσθαι, λαβὼν τὸ ἄγημα τὸ πρῶτον τῆς μόρας ὁ βασιλεύς, ἄγει συστρέψας ἐπὶ δόρυ, ἔστ' ἂν γένηται ἐν μέσῳ δυοῖν μόραιν καὶ δυοῖν πολεμάρχοιν. οὓς δὲ δεῖ ἐπὶ τούτοις τετάχθαι, ὁ πρεσβύτατος τῶν περὶ δημοσίαν συντάττει. Hæc poſtrema meritò alicui dubitationem poſsint mouere de uoce *δημοσίαν*, quæ hoc loco ſatis ambiguè poſita uidetur. Qui enim *μάχην* ſubaudiri uolunt, duriuſculã putantur expoſitionem tradere. Et quoniam nihil nobis aliud hoc tempore, quod in medium proferamus, ſuccurrit: non abſurdum fore arbitramur, ſi, quod olim ab A. Turnebo, uiro undecunque doctiſsimo, de hoc loco accepimus, exponamus. Is igitur, cum rem totam diligentius conſideraſſet, hoc modo ſcribendum putauit: *ὁ πρεσβύτατος τῶν περὶ δημοσίαν σκηνὴν τάττει.* Etenim ipſe Xenophon extremo hoc libello cœnaculi huius regij mentionẽ facit, cũ ait: *ὅπως δὲ καὶ βασιλεῖς ἔξω σκηνοῖεν, σκηνὴν αὐτοῖς δημοσίαν ἀπέδειξε.* Hãc porrò tanti uiri coniecturã ut improbare nolo, donec meliorẽ adferre non licet: ita non adeò firmiter ſubnixã arbitror, quin facilè cõuelli queat. Nam quod de publico cœnaculo dixit Xenophon, id ad rem urbanam, non ad militarem pertinet. Eas autem diuerſis modis, etiam in cœnaculis regijs, inſtitutas fuiſſe, inde cõſtat, quòd & rex apud Lacedæmonios

alius

alius bello, alius domi præerat, & contubernales regij utroq; tempore diuerſi traduntur: altero uidelicet πολέμαρχοι, altero πύθιοι quos uocabant. Quo fit, ut, quæ de rege ciuili dicta ſunt, non ſatis commodè ad bellicum traduci poſsint, cum præſertim illa Xenophon tanquàm peculiaria, nec ad utrũq; tempus æquè pertinẽtia, tradat. Sic enim de ipſis proponit: βούλομαι δὲ καὶ ἃς βασιλεῖ πρὸς τὴν πόλιν συνθήκας ὁ λυκοῦργος ἐποίησε, διηγήσασθαι. Quocirca malim antiquam retinere ſcripturam hoc loco, præcipuè cum ſimili loquẽdi genere ſit in Hellenicis uſus hic autor, lib. ſexto: ἐπεὶ μέντοι ἀπέθανε δείνων τε ὁ πολέμαρχος, ὅ τε σφοδρίας τῶν περὶ δημοσίαν, καὶ κλεώνυμος, &c. quo quidem in loco τοὺς περὶ δημοσίαν exponunt pleriq;, qui in Rep. uerſantur.

Agellij capita duo magna parte aucta. Cap. 6.

DVo ſunt apud Agelliũ, antiquiſsimũ ferè harum commentationũ autorem κεφάλαια, ut ita dicã, ἀκέφαλα, ut ex eorum argumentis patêre poteſt: quæ nos è uetuſto, quod habuimus à Buslidianis, exemplari plena nunc & integra dabimus. Eorum alterum eſt primi libri ordine tertium, cuius principio hæc deſunt: *Lacedæmoniũ Chilonem, unum ex illo inclyto numero ſapientium, ſcriptum eſt in libris eorum qui uitas reſq; geſtas cla-*

rorum hominum memoriæ mandauerunt, cum de uitæ ſuæ poſtremo eū inibi mors occuparet, ad circumſtantes amicos ſic locutum: Dicta mea, inquit, factaq; in ætate longa, pleraq; omnia fuiſſe non pœnitenda, forſitan uos etiā ſciatis. Ego certè in hoc quidem tempore non fallo me, nihil eſſe quicquam commiſſum à me, cuius memoria rei aliquid pariat ægritudinis: niſi profectò illud unum ſit, quod rectò ne an perperam fecerim, nondum mihi planè liquet. Super amici capite iudex cum duobus alijs fui. Lex ita fuit, uti eum hominem condemnari neceſſe eſſet. Aut amicus igitur capitalis perdendus, aut adhibenda fraus legi fuit. Multa cum animo meo ad caſum tam ancipitem medendum conſultaui. Viſum eſt eſſe id quod feci, præ hoc quod erant alia, toleratu facilius. Tacitus ad condemnandum ſententiam tuli: his qui ſimul iudicabant, ut abſoluerent, perſuaſi. Sic mihi & iudicis & amici officium in re tanta ſaluū a fuiſſet. Hanc capio ex eo facto moleſtiam, quòd metuo, ne à perfidia & culpa non abhorreat, in eadem re, eodemq; tempore, inq; communi negocio quod mihi optimum factu duxerim, diuerſum eius alijs ſuaſiſſe. Et hic autem Chilo præſtabilis homo ſapientia, &c. hinc enim demum impreſsi libri Caput hoc auſpicantur. Alterum deinde mutilum Caput extat lib. 18 nonum, cui item principium cum deſit, hoc eſt præponendum: *In libro uetere, in quo erat oratio M. Catonis de Ptolemæo contra Thermum, ſic*

a Fortè fuit. ſed hanc.

ſic ſcriptum fuit: Sed ſi omnia dolo fecit, omnia aua b Fortè in[...]
ritiæ atq; pecuniæ cauſa fecit: eiuſmodi ſcelera ne- da, niſi q[...]
faria, quæ neq; b fanda neq; legenda audiuimus, ſup dam Cato
plicium pro factis dare oportet. Inſecenda quid eſ- heic deſint
ſet, quæri cœptum. Tum ex his qui aderant, alter li-
terator fuit, alter literas ſciens: id eſt, c alterum do- c Fortè alt[...]
cens, doctus alter. hi duo inter ſeſe diſſentiebant.
Et grammaticus quidem contendebat. Inſequenda
enim ſcribi inquit, nō Inſecēda: d quoniā Inſequens d Fortè qu[...]
ſignificat, traditūq; eſſe Inſeque, quaſi perge dicerè in Inſeque
& inſequere. itaq; ab Ennio ſcriptū in his uerſibus, gnificatur,
Inſeque Muſa manu Romanorum induperator ctumq;.
Quod quiſq; in bello geſſit cum rege Philippo.

Alter autem ille eruditior, nihil e mendum, ſed e Fortè men[...]
rectè atq; integrè ſcriptum eſſe perſeuerabat: & Ve- doſum.
lio Longo, non homini indocto, fidem eſſe haben-
dam, qui in commentario, quod feciſſet de uſu anti-
quæ lectionis, ſcripſerit, non Inſeque legendū apud
Ennium, ſed Inſece: ideoq; à ueteribus quas narratio
nes dicimus, inſectiones eſſe appellatas. Varronem
quoq; uerſum hunc Plauti de Menæchmis,
Nihilominus eſſe uidetur ſectius quàm ſomnia,
ſic f enarras: nihilo magis narranda eſſe, quàm ſi ea f Fortè enar-
eſſent ſomnia. Hæc illi inter ſe certabant. Ego arbi- raſſe.
tror & à M. Catone Inſecenda, & à Q. Ennio g in- g Fortè Inſe-
ſcite ſcriptum, ſiue u litera. Offendi enim in biblio- ce.
theca Patrenſi librum h ueræ uetuſtatis, i librum h Fortè miræ.
Andronici, qui inſcriptus eſt ὀδύσσεια: in quo erat i Fortè Liuij.
uerſus primus cum hoc uerbo, ſine u litera,
Virum mihi Camena inſece uerſutum,

factus

a F. Illi *factus ex illo Homeri uerſu. a Illic igitur ætatis & fidei magnæ libro credo. Nam quod in uerſu Plautino eſt, ſectius quàm ſomnia: nihil in alteras plus argumenti habet. Etiamſi ueteres autem non Inſeque, ſed Inſece dixerunt; credo, quia erat lenius, leniusq́;: tamen eiuſdem ſententiæ uerbum uidetur. Nam & Sequo.* Hactenus exemplar manuſcriptum: unde commodè impreſsi codices, ut pateat connexio, incipiunt. ſic enim habent: *Et ſequor, & item ſecta, & ſecutio: &c.* Verùm heic pro *ſecutio* malim legere Sectio. Ceterùm quem citauit heic Agellius Plauti locum, is in libris uulgatis ita à Menæchmo ſurrepto pronunciatur:

Hæc nihilo mihi eſſe uidetur ſecius quàm inſomnia. in quo ut Sectius pro Secius legendũ, facilè probat carminis ratio: ita Nihilo mihi cum uulgatis, non Nihilominus cum Agellio legendum, uerba ipſa demonſtrant.

In Euripide nonnulla declarata. Cap. 7.

RHeſum cũ exercitu tardius aduenientem ſic increpat in Rheſo Hector:

πάλαι πάλαι χρῆν τῇδε συγκάμνειν χθονὶ
ἐλθόντα, καὶ μὴ τοὐπίσ᾽ ἀργείων ὕπο
τροίαν ἐᾶσαι πολεμίων πεσεῖν δορί.

in quibus uerbis illud τοὐπίσ᾽ perperam exponunt pleriq́;, in poſterum, quaſi ω de ὀπίσω poſſet elidi. Atqui hoc pro τὸ ὄπισθε ponitur

tur

tur ab Euripide, ſiue, Quod ad te attinet. quaſi dicat Hector, non debuiſſe per Rhenō ſum ſtare, quo minus caperetur Troia. Et quoniã ſimilis harũ uocũ cõnexio in alijs etiam Euripidis locis eoſdem uiros latuit, ea quoq; apponenda duco, ut hunc errorẽ lucrifaciant lectores. Etenim in Alceſtide inquit ad patrem Admetus:

οὐ γάρ σ' ἔγωγε τῇδ' ἐμῇ θάψω χερί.
τέθνηκα γὰρ δὴ τοὐπίσ', εἰ δ' ἄλλου τυχών, &c.

Per te, inquit, nō ſtetit, quo minus morerer. nam tu uicem ſubire meam, ſicut fecit uxor, noluiſti. Hecuba quoq; mortuam filiam ſic alloquitur:

ὄλωλας ὦ παῖ, μητρὸς ἁρπασθεῖσ' ἄπο.
ἡμεῖς δ' ἄτεκνοι τοὐπίσ'. ὢ τάλαιν' ἐγώ.

Quoniam enim putabat Polydorum ſibi etiam ſupereſſe, per illam ſaltem non ſtetiſſe dicit; quo minus omnibus ad unum liberis orbata ſibi uideretur. Iam ubi in Oreſte dicit altera Chori pars, excubias agens,

καλῶς τάγ' ἔνθεν, ἀλλὰ τἀπίσω σκόπει:

heic quoq; illud *τἀπίσω* eodem fere modo interpretor, immutata tamen nonnihil ſcriptura. nã *τἀπὶ σοῦ* lego. Hoc igitur dicit Chorus: Ab hac parte res eſt in tuto: at tu tuam partẽ ac ſtationem (non, quæ ſunt à tergo) cura. Quoniam porrò ſunt & alia quædam in hoc poeta uocabula, quę interpretes, cum

quæ

quæ eſſent ex ijs eliſæ literæ, neſcirent, ſatis imperitè uerterunt: nihil uetabit etiam hæc paucis explicata proponere, poſtquã in hũc ſermonem incidimus. Nec erit hæc admonitio fortaſsis inutilis, præſertim poſt tantos quorundam in ea re, quamuis tenui, lapſus. In Phœniſsis ait Polynices,

ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ,
κοὐ ποικίλων δεῖ τ᾽ ἄνδιχ᾽ ἑρμηνευμάτων.

quę poſtrema non ita ſunt explicanda, *δεῖ τὰ ἄνδιχα ἑρμηνευμάτων*: ſed ita, *δεῖ τὰ ἔνδικα ἑρμηνευμάτων.* Quæ æqua ſunt, inquit, non requirunt uerſutas explicationes. Quod etiã confirmat id quod ſequitur, *ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρόν.* Etenim quò referetur *αὐτὰ,* niſi legas *ἔνδικα*; Iam in Cyclope cum dixiſſet Polyphemus, *ᾠνοχόος ἄδικος*: reſpondet Silenus, *ναί μὰ Δί᾽, ἀλλ᾽ ὦνος γλυκύς.* Heic *ὦνος* alij pro precio ſumunt, cum ponatur pro *ὁ οἶνος*. itaq; & *ᾦνος* erat ſcribendum. Deniq; in Ione inquit Creuſa, repertis crepundijs, *ὁρῶ γὰρ ἄγγος, οὗ ξέθηκ᾽ ἐγώ ποτε σέ γ᾽ ὦ τέκνον,* &c. Heic in prima eliſione non eſt legendum *ὃ ἐξέθηκα*: ſed *οὗ ἐξέθηκα*, id eſt, in quo expoſui. Verùm iam ſatis nos hæ uexarunt minutiæ.

Aliquot è Statio menda ſublata.

Cap. 8.

CVm ab optimo ac doctiſsimo uiro, Theodorico Langio, Græco profeſſore

ſore Louanienſi, Statij Papinij, quem poetã docti omnes plurimi faciunt, exemplaria duo peruetuſta utẽda accepiſſem, eaq; cum impreſsis codicibus diligenter contuliſſem, maiorem longè, quàm putaram, laboris mei fructum cepi. Multa enim loca, quæ tam in Thebaide, quàm in Achilleide (nam Siluæ quidem in utroq; libro deerant) fœdiſsimè fuerãt corrupta, nec ullius ingenij opem ui debantur admiſſura, feliciſsimè ex hac collatione reſtituimus. Verùm quia bonum, quo communius eſt, eo maiorem ſolet laudem mereri: decreuimus harum emendatio num præcipuas ferè omnes heic ſelectas ſub nectere. Sequemur autem Lugdunenſem editionem, ut lectoris labori, ſi quid fortè uelit conferre, parcatur.

—*qualis per nubila Phœbes* Fol.151.
Atracia rubet arte color.—Legendum eſt, Atracia rubet arte labor. hoc enim quanto ſit uenuſtius, nemo non uidet. Atraciam uerò pro Theſſalica ponit. Eſt enim Atrax Theſſaliæ urbs, teſte Stephano. Ineptè igitur, qui ab Atreo nomen hoc deducunt.

—*quid ſi Tyriæ, Phrygiæ'ue ſub unum* 153.
Conuertentur opes?—Lege, Conuectentur opes?

—*Perſeos alter in agros Scinditur.*—Lege, alter in Argos. 155.

184 *——quò tendis iter? quo conſcius ardor Ducit?* ——Lege, ——Ni conſcius ardor Ducit, & ad Thebas. Simile eſt illud Horatij,

Et niſi cœna prior, potiorq́; puella Sabinũ Detinet.

200 *——quanquã ampla ueniret Libertas ſancire uiã.* ——Lege, ——Quaq; ampla ueniret Libertas, ſancire uiam.

212 *——cui fida manu proceresq́; ſocerq́; Aſtupet oranti.* ——Lege, ——Cui fida manus, proceresq; ſocerq;, Adſtupet.

229 *——paruoq́; oſtenditur auro Robur ubi.* ——Lege, Oſtenditur aruo.

245 *Qui lętò dedit enſe patrem.* ——Lege, Qui læto fodit.

264 *Pelias intacti latè ſubit hoſpita ponti Pinus.* ——Lege, Oſtia ponti.

272 *Figitur haſta ſolo.* ——Lege, Figitur alta ſolo.

292 *Circumſtant fidei.* ——Lege, Circumſtant fidi.

305 *——ultro animis audax inſtatq́; & obumbrat.* Lege, Intratq; & obumbrat.

323 *——quis Panopen? quis Aulida? quis Cypariſſon?* Lege, Quis Daulida? & mox,

—— & Hyampolin acri Submiſſam ſcopulo. —— Lege, Subnixam.

330 *Nunc rudis Iſmenes, nunc flebilis ora precantis Antigones.* ——Lege, Flebiliora precantis.

332 *Rumpitur ecce graui ſubitò per caſtra tumultu Concilium.* ——Lege, Rumpitur & Graium.

Sed

Sed quid ego hæc ita? tartareas ulciſcere ſedes 342
Tiſiphone.——Lege,
Sed q̄d ego hæc? i, tartareas ulciſcere ſedes.
——*ſed Mopſus idem, trepidusq́; ferebat*
Autor idem.——Lege, 345
Actor idem: uel, Actorídes.
Pellitur & patriæ, qui mente nouiſsimus exit,
Lucis amor.——Lege, Et qui mente n.e. 353
Poſt uerſum,
Strauit Abanta Pheres: deeſt iſte, 355
Guttur Iphis, latus Argus, Abas in fronte cruorem.
Balatusq́; tremens, pinguesq́; ab ouilibus agnæ. Le- 399
ge, auræ. & mox,
Conſiderant iam uota diem.——Lege, Condiderant iam.
——*non heic pelagi, licet omnia clament, Littora.* 401
——Lege,
——non heic pelagi, licet, horrida clament Littora.——
——*nondum apta latenti Turba dolo* ——Lege, 406
nunquam apta.
——*gemitusq́; parantem*
Illum ultro conuertit equis——Lege, 414
Ipſe ultrò conuertit equus.
Mox plenum Phœbo uatem, & celare iubentem. 419
Lege, celerare.
Arctatur denſo fugientum ex agmine uallum. Le- 431
ge, examine uallum.

435 —*aſpera quando*
Præcepit uirtus.—Lege, at fera quando.

437 *Correptumq; iniecit equum.* —Lege equo.
Sed quid apud tales? quis non ſua pignora curæ
Extet honos?—Lege,

445 Sed quid apud tales, queis nec ſua pignora curæ, Exter honos ? & mox,

Quam ſcita curuatis.—Lege, Quam Scytha.
Iam tumulis iunctos ſocios, iam mœnibus arces. Lege,

453 Iam tumulis uictos, ſocios iã mœnib. arces.

Præterit horrendis infeſta cubilia monſtris. Lege,

464 Preter & horrendis inſeſſa c.m. Similiter Lucretius,

Hinc flammis, illinc rigidis inſeſſa pruinis.

467 *Vix ea conſciſsis manum Dea nubibus orbem Protulit.*—Lege,

Vix ea, cum ſciſsis magnum Dea nubibus orbem Expulit.—

Cedo, te ne pudet, heu pietas ignaua ſororis. Lege,

470 Cedo, tene. pudet? heu pietas i.ſ. & mox,

—*iunctoq; per ipſum Amplexu.*—Lege, iũctæq; per ipſum Amplexum.

472 —*& ad regem qui deprendere trahebant.* Lege trahũtur. Tantus enim fuit puellarum ardor, ut ſatellites ipſos ad Regem traherent potius, quàm inuitæ ſequerentur. Sic de periuro dixit Iuuenalis,

tunc

—tunc te ſacra ad delubra uocantem
Præcedit, trahere imo ultro ac uexare paratus.
& de Romano martyre Prudētius.
—ipſe tortorem trahit.
Tranſijt haſta duos, faciebat uulnera nec non 482
Tertia.—Lege, ſitiebat uulnera.
Notaq́; deſueto crepuit—Lege, Motaq́;. 489
Mox propiusq́; uolant, ſociam iamq́; aere in ipſo 498
Paulatim fecêre ſuam,—Lege,
Mox propius propiusq́; uolant atq; aere in ipſo.
Poſt uerſum *Auia*: deeſt iſte, 501
Donec in anguſtam ceciderunt undiq; uallem. & mox,
Armenti greges—Lege, reges.
—namq; ambiguo ſub pectore quiddam Verſo. 509
Lege, dudum uerſo.
Tunc ex more deis (ita namq; monebat Vlyſſes) 518
Aequoreis matriq́; litat. —Lege, Auſtriſq́; litat.
Vndiq; in exitio ſibi quiſq;, & ſponte coimus 520
Vltores.—Lege, Vndiq; inexciti. & mox,
—hæc etiam fortes iactura moueret. Lege, etiam uiles.
Incluſum quoties diſtringeret aera gyro. Lege, di 525
ſcingeret à. g. Simile habetur & ſuprà,
—uacuoq́; diem præcingere gyro. Quod autem 225
ſequitur,
Nunc caput aerei ſcandentem pondere montis,

in Prendere mutandũ eſſe, admonuit olim uir doctiſsimus A. Iunius, & noſtra comprobant exemplaria.

Troili hiſtoria expoſita, ac Tzetzis de ea locus emaculatus. Cap. 9.

QVæ de Troili morte ab autoribus traduntur, non uſquequaque uidentur inter ſe conſentire. Quidam etenim, inter quos Virgilius & Calaber (ni fallor) cum Achille congreſſum in prœlio Troilũ narrant, & cum uiribus eſſet inferior, peremtũ fuiſſe. Alij uerò, ut Lycophron & Theocritus, ab Achille adamatum tradunt: cui cum ſe indulgere nollet, in templo Apollinis ab illo ſit occiſus. Tzetzes tamen in enarratione Lycophronis, poſteriorem hanc opinionem refutat, quòd nequaquã pulcer Troilus, aut iuuenis fuerit: uerùm iam ſenior, ac barba hiſpida, prorſusque Achillis amoribus ineptus. Verba eius, ſi quis requirat, ſunt hæc: ἐγὼ δὲ τοῦτον τὸν τρωίλον καὶ βαθεῖαν ἔχοντα τὴν ὑπήνην, καὶ μελάγχρουν ἐπίσταμαι. οὐκ οἶδα δὲ εἰ ὁ θετταλὸς ἀχιλλεὺς οὕτως ἐρωτικὸς ἦν, ὡς καὶ βαθυγενείων καὶ γεραιτέρων πολὺ τούτων ἐρᾶν. νέος μὲν γὰρ ἦν ὁ τρωίλος, καὶ ὡραῖος· μελάγχρους δὲ καὶ δασυγένειος, καὶ ἀχιλλέως ἐρώτων ἀνάξιος. Ceterùm in illis uerbis, νέος μὲν γὰρ ἦν ὁ τρωίλος, deeſt negatio, legendumque, νέος μὲν γὰρ οὐκ ἦν: quemadmodũ ex ijs quæ præcedunt, quęque ſequun-

ſequuntur, facile eſt colligere. Nec ego hoc admonendum duxiſſem, niſi etiam doctos uiros, qui hunc locum citarunt, errorem in eo nullum agnoſcere cõperiſſem. Nam de interprete quidem, Bertrando quodã, quid attinet dicere? aut cur non hunc ei lapſum facilè condonemus, qui & alibi in hoc ſcholiaſte uertendo, Locridem regionem fecerit Aiacis uxorem, errore omnium, quos unquam uidi, maximè pudendo. Eſſe autẽ hunc locum ita, ut dixi, corrigendum, teſtimonio mihi etiam eſt, ut poſtea deprehendi, Phauorinus: qui ex Græcorum ſcholijs Lexicon ſuum magna ex parte conſarcinauit. Quid quòd ſimilem quoq; eiuſdem interpretis locum primo libro eadem ratione docuimus emendandum.

Ceſelliana Virgilij interpretatio contra Sulpitium defenſa. Cap. 10.

Virgilij uerſus è ſexto Aeneidos,
Siluius Albanũ nomẽ, tua poſthuma proles,
Quem tibi longæuo ſerum Lauinia coniux
Educet ſiluis:——

Ceſellius Vindex, referente Agellio, ſic interpretabatur, ut poſthumã prolem exponeret eum, qui poſtremo loco natus eſſet. Hunc reprehendens Apollinaris Sulpitius, poſthumi nomen uulgari more ſumebat: ſiquidem poſt mortẽ patris natus diceretur *Lib. 2. cap. 16.*

Siluius. Veruntamen ſi quis utriuſq; ſenten tiam diligentius perpendat, maiora reperi- et à Ceſelliana, quàm ab altera, rationum momenta ſtare. Vt enim de poſthumo pri- mùm dicamus: quę traditur huius uocis ety mologia, locũ in lingua Latina nullũ habe- re poteſt: idq; cùm alijs de cauſis, tũ quòd ueteres non poſthumus, ſed Poſtumus di- xerint, quemadmodum ex antiquis monu- mentis conſtat. Nam & quod in Horatio legitur, *Poſthume Poſthume:* emẽdatius habe- tur in manuſcriptis, Poſtume Poſtume. De ducitur aũt Poſtumus à præuerbio Poſt, ue lut ab Extra Extumus, à Citra Citumus. Quocirca rectè Siluius poſtuma ſeu poſtre ma proles (quæ & Proculus uocabat̃, ſi Pau lo ex Feſto credimus) dicitur, quòd ultimo loco natus ſit. Quanquã porrò minus uſita tũ in ea notione uerbũ hoc uideri poſsit: nõ tamen adeò Latinis eſt auribus ignotũ, ut eo Tertullianus, diligens antiquitatis inqui ſitor, in lib. contra Gnoſticos uſus non ſit. Nam de ſcorpio loquens, ſic ait: *Cauda erit, quodcunq; de poſtumo corporis propagatur, & uer berat.* Præterea non hoc ſolum extat in Vir- gilio rarum uocabulum. Quod autem ex hi ſtoria obijcitur, Siluium poſt Aeneæ mor- tem natum eſſe: faciunt ineptè, qui à Poeta quaſi à teſtę (ut ille ait) ueritatem requirũt:

nec id meminerũt, hiſtoricæ fidei poeticam libertatem fortiter opponi poſſe. Iam uerò quod addit Virgilius *longæuo*, & *ſerũ*: ea duo uerba ſententiam noſtram omnino confirmant. Cui enim longæuo naſcitur filius, is uiuo utiq; naſcitur. Nam quod Sulpitius lõgæuum exponebat indigetem atq; immortalem: id tam eſt abſurdum, quàm quod maximè. quemadmodum nec ipſe diſsimulat Agellius. Seri porrò uocabulum ſolet ijs tribui, quos Græci τηλυγέτους uocãt, & qui ſenibus parẽtibus uel auis naſcũtur. Catullus,

Nam neq; tam carum confecto ætate parenti
Vna caput ſeri nata nepotis alit.

Auſonius Protreptico,

——pappos auiasq; trementes
Anteferunt patribus ſeri noua cura nepotes.

Serus enim heic eadẽ notione dicitur, qua apud Catullum alibi,

Reddite in extremæ nuper mihi fine ſenectæ.

Quapropter cum nec poſtumus & ſerus filius, nec longæuo patri, niſi uiuo naſcatur: non uideo, cur poſtuma proles Virgilio dici non debeat ea, quam Aeneas extremo uitæ tempore poſtremã ex uxore ſuſceperit. Quinimò ſi quis autoritati locus eſt, nobiſcũ facit I. Auratus, alijq; uiri docti plures. Negare tamen nolo, poſtumos uocari etiã eos, qui poſt mortem patris naſcuntur: ſed

ut poſtremò (mortui etenim non procreant amplius) non ut poſt humatum patrem editos. Nam cum effetus mortuo, quantum ad generationem, comparetur: æquè poteſt utriuis natæ proli poſtumi nomen conuenire. Illud deniq; adijciendum duxerim, nomen Albanum in his uerſibus, pro uiro ſeu homine Albano poni: quæ quidem phraſis de Græcorum fontibus profluxit. Sic enim Ariſtides inter ceteros, cum duas Rerump. ſpecies enumeraſſet: τρίτον ὄνομα δημοκρατία, ὅ τε καὶ χεῖρον ἀγομένη. Ac ſimiliter in Diris dixit,

—& felix nomen agelli. Tibullus item,

—nec fidum femina nomen.

Nec aliter eſt intelligendum, quod apud Horat. tertio Carminum inquit Europa,

—pater ô relictum Filiæ nomen.—

quod cum non animaduertiſſent quidam, *nomen* aliquando in Numen commutarunt. Ouidius quoq; nomẽ inane fabę, eadẽ figura dixit. Quin etiã Hebræis hæc periphraſis eſt familiaris.

Theocriti uerſus reſtitutus.

Cap. II.

ANnotatum eſt olim ab Heſychio, & poſt eum à Phauorino, δήλεσθαι Græcis idem ſignificare, quod βούλεσθαι καὶ θέλειν, ſed uſum huius uocabuli nec illi tradiderunt,

runt, nec apud autorem ullum facilè credo reperiri poſſe, niſi apud unum Theocritũ, ſi quidem emendatus eſſet locus, nec in eo uera uoce reiecta, alia eſſet ſuppoſita. Extat autem is in ὁδοιπόροις, ubi Lacon hos uerſus profert:

τίς τρίχας αὖτ' ἐρίων ἐποκίξατο, τίς ἢ παρθύσας
αἰγὸς πρωτοτόκοιο, κακὰν κύνα βούλετ' ἀμέλγειν

Verùm poſterior horum in exemplari manuſcripto ſic legebatur:

αἰγὸς πρωτοτόκοιο, κακὰν κύνα δήλετ' ἀμέλγειν.

eratq; ſupra δήλεται, ſcriptum βούλεται. Vnde poſtea factum uidetur, ut librarij gloſſam, quam uocant, in locum contextus receperint, uera lectione repudiata. Nam & Nicandri ſcholiaſtes è Theocrito citat δήλεται pro βούλεται uſurpatum: quanquã illic quoq; mutilus eſt locus. Id autẽ ſæpe fieri, ut gloſſa pro contextu ponatur, uel ipſi inſeratur, ſicut & in Aeſchylo & Euripide nõ rarò factum eſt: notũ eſſe poteſt ijs, qui uetera aliquot exemplaria cum nouis aliquando contulerunt: & nos alibi copioſè demonſtrabimus. Quid quod etiam Timæum philoſophum hac uoce nuper uſum animaduerti, cũ dicit: εἴ ποκα δήλετο αὐτὸν διαλύειν.

Curioſitatis uicium à poetis tribus luculenter notatum. Cap. 12.

NEc iniucundum erit, opinor nec inutile,

tile, ſi breuiter excellentium trium poetarum de curioſitate, uicio nimis uulgari, dicta inter ſe conferamus. Et quoniam hoc uicij genus cùm in omni hominum genere, tum in feminis præcipuè uigere ſolet: accidit, ut illorum duo ad mulieres, unus demũ ad uiros ſententiam ſuam retulerit. Horum primus, Theocritus, eleganti iuxtà ac breui uerſiculo rem totam complectens inquit,

πάντα γυναῖκες ἴσαντι, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' ἥραν.

Quo ſignificare uoluit, eas tanto teneri cognoſcendarum rerum alienarum deſiderio, ut non humana tantum negocia omnia, ſed & diuina myſteria, cæleſtiaq; arcana quælibet accuratè inueſtigent. Nam illud quidem coniugium Iunonis & Iouis, etiam deos latuit, ut uult Homerus,

εἰς εὐνὴν φοιτῶντε, φίλους λήθοντε τοκῆας.

Trinum. Secundus Plautus, de ſcurris, ſeu urbanis ciuibus loquens, hæc refert:

Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quicquam ſciunt.
Quod quiſq; in animo habet, aut habiturus eſt, ſciunt.
Id quod in aurem rex reginæ dixerit,
Sciunt. quod Iuno fabulata eſt cum Ioue:
Quæ neq; futura, neq; facta ſunt, tamẽ ij ſciunt.

His uerſibus uix puto quicquam de curioſis ἐναργέστερον potuiſſe dici. Simul & illud notandũ, quod ait de Iunonis cum Ioue colloquio,

loquio, in eo Theocriti uerba, *ὡς ζωὸς ἠγάγεθ' ἥρων*, uideri poetam expreſsiſſe. Tertius demum Iuuenalis, graphicè admodum mulieris omniſcię mores depingit ſatyra ſexta:

Hæc eadem nouit, quid toto fiat in orbe,
Quid Seres, quid Thraces agant, ſecreta nouercæ,

& paulo pòſt,

Inſtantem regi Armenio, Parthoq; cometam
Prima uidet: famam, rumoresq; illa recentes
Excipit ad portas: quoſdam facit iſſe Niphaten
In populos, magnoq; illic cuncta arua teneri
Diluuio, nutare urbes, ſubſidere terras.

Iam quod in alijs poetæ reprehendũt, ab eo nec ipſi ſunt omnino liberi, ſi Virgilio credimus, cum ait:

Norunt bella deûm, norunt abſcondita nobis
Coniugia, & falſa quoties ſub imagine peccent.

nam de poetis heic loquitur.

Anacreon correctus. Cap. 13.

MVltum certè debent Heinrico Stephano, Roberti F. literarum elegantiorum ſtudioſi, partim alías ob cauſàs, partim quòd Anacreontis odas, poetæ omniũ lepidiſsimi, primus ille de tenebris erutas in lucem protulit: nec hoc tantũ, ſed & menda plurima, quæ in hoc opuſculum tum uetuſtatis iniuria, tum aliorum incuria irrepſerant, & ſuo & doctorum uirorum adiutus ingenio feliciſsimè correxit. Quod quamuis

uis diligenter, ut omnia ſolet, præſtiterit: non potuit tamen, quin rei difficultate uictus, aliis etiam poſt ſe quærenda in hoc autore, ac diligentius examinanda quædam relinqueret. Eius rei ſpecimen dabit aliquod ſuauiſsima in Bathyllum oda: in qua cum Anacreon reliquas corporis partes graphicè delineaſſet, ad inferiora demum progreſſus, hæc ſubiungit:

ἀπαλῶν δ᾽ ὕπερθε μηρῶν,
μαλερὸν τὸ πῦρ ἐχόντων,
ἀφελῆ ποίησον αἰδῶ
παφίην θέλουσαν ἤδη.

Horum uerſuum poſtremus quanquam talis eſt, ut facilè tolerari poſsit: longè tamen aptiorem fore atque concinniorem exiſtimo, ſi pro θέλουσαν legatur πνέουσαν. cuius rei coniecturam inde facio, quòd idem Anacreon in alia oda, quam εἰς τὸ ἔαρ ſcripſit, uerbo hoc lepidè in eundem ſenſum ſit uſus, cum dixit:

ἀπαλὴν παῖδα κατέχειν
κύπριν ὅλην πνέουσαν.

Quid autem ſignificet παφίην ſeu κύπριν πνέειν, ſatis notum arbitror. Horatius quidē de Lyce dixit,

Quæ ſpirabat amores.

Proper-

Propertij carmina duo caſtigata.
Cap. 14

LEuius fortaſsis, quàm ut admoneatur, uideri poſſet, niſi faceret quorundàm incuria, quod in Propertio mendoſè legitur in elegia, qua Marcelli mortem deflet. Ea ſic incipit:

Clauſus ab umbroſo qua ludit pontus Auerno
Humida Baiarum ſtagna tepentis aquæ.

Nam quin prior uerſus ita ſit corrigendus, Clauſus ab umbroſo qua alludit pontus Auerno, neminem dubitare poſſe confido. Sic enim & Catullus,

Omnia quæ toto delapſa è corpore paſsim,
Ipſius ante pedes fluctus ſalis alludebant.

Illud forſitan maioris erit momenti, quod nunc ex eodem poeta in mentē uenit, poſtquā ludendi facta eſt mentio. Quartæ namque ante iſtam citatam elegiæ, quæ de ludis Laconicis agit, hoc eſt initium:

Multa tuæ, Sparte, miramur iura palæſtræ,
Sed mage uirginei tot bona gymnaſij:
Quòd non infames exercet corpore laudes
Inter luctantes nuda puella uiros.

At horū penè ultimus ita reſtituēdus uenit, Quòd non infames exercet corpore ludos. quam quidem emendationem I. Aurato debemus. Quinimò Plutarchi quoq; nunc in

mentem

mentem uenit, apud quem in Lycurgo, cum eiuſdem rei mentionẽ facit, macula quoq; quædam uidetur eluenda. Sic igitur ait dẽ Lycurgo: ἀφελὼν δὲ θρύψιν καὶ σκιατροφίαν καὶ θηλύτητα πᾶσαν, οὐδὲν ἧττον εἴθισε τῶν κόρων τὰς κόρας γυμνάς τε πολιτεύειν, καὶ πρὸς ἱεροῖς τισιν ὀρχεῖσθαι καὶ ᾄδειν τῶν νέων παρόντων καὶ θεωμένων. Heic ego pro πολιτεύειν, quod eſt ab hoc loco alienũ, repono πυκτεύειν. Qui enim hoc loco πολιτεύειν expoſuit, in publico uerſari, eum miror, cum in reliquo Plutarcho uertendo tam diligentem & egregium interpretem ſe prębuerit, hoc in loco tam ſecorditer dormitaſſe. iſta namq; expoſitio omni eſt hiſtoriæ contraria.

Prouerbium Græcum expoſitum.

Cap. 15.

CVm Periclem oratorem Plato in Gorgia loquacitatis, ignauiæ, & auaritiæ in Vrbem introductæ accuſaſſet: eum refutans in oratione pro Quatuoruiris Ariſtides ait: περὶ μὲν δὴ λάλων ὦ πλάτων καὶ ἀργῶν καὶ δειλῶν, αὐτόθεν κατάβαλε, μήπου τις, &c. Quod igitur heic uſurpauit prouerbium, αὐτόθεν κατάβαλε: illud Eraſmus, interpretis Gręci ſententiã ſecutus, exponit, Heic depone, Hoc ipſo loco depone, Protinus depone. Dixerat autẽ Interpres à uictoribus eſſe ſumtum prouerbium, qui uictum iuberent mox her

bam

bam porrigere, & inibi uictorem agnoſcere. Sed hæc expoſitio nimis mihi uiolenta uidetur. Sic enim ante uictoriam triumpharet Ariſtides. Nec multo melius alij dixerunt, ab hominibus onuſtis, cum ſarcinam deponunt, ductā eſſe parœmiam. Ii autem *αὐτόθεν κατάβαλε* exponunt Tace. Nos itaque tertio pedato, quod ille ait, ueram, ſi poſſumus, proferamus ſententiam. Quoniam igitur *καταβάλλειν* nonnunquam etiam pro Soluere ſeu Numerare ponitur, ſecundū hanc uocis huius notationem ſimpliciter equidem *αὐτόθεν κατάβαλε* expoſuerim, Indidem numera, A te numera. Cur tu, inquit, Pericli loquacitatē obijcias, cui es ipſe plurimū obnoxius. Atque huc optime cōueniunt ea, quæ ſequuntur apud Ariſtidem,

μήπου τις καὶ τρῶας ἐγείρῃσι θεὸς ἄλλος.

(qui uerſus ex Homeri Iliad. *κ.* ſumtus eſt) *καὶ δῶμεν λαβὴν καθ' ἡμῶν αὐτῶν, προσήκουσαν μὲν ἥκιστα, ὅμως δὲ τὰ τοῦ ὁμήρου κἀνταῦθα νικᾷ, τὸ, ὁπποῖόν κ' εἴπησθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσῃς.*

Quod autem heic tectè innuit, id in ſequentibus paulò pronunciat apertius, cum ait: *οἶδα δὲ καὶ τὰ πλάτωνος πράγματα, εἰ μὴ τετυφώμεθα· οὐδὲν ἄλλο σχεδὸν ὄντα ἢ λόγους, καὶ συγχαίρω τῆς λέξεως αὐτῷ. κἂν μὲν προσπαίζων οὑτωσὶ πείθῃ μὴ πάνυ τούτου φροντίζειν, οὐ πάνυ πείσομαι, ἀλλ' εἴσομαι σφόδρα σπουδάζοντα, καὶ τηνικαῦτα μάλιστα, ἡνίκ'*

αὖ ὡς παίζων λέγῃ. Quibus inter ſe collatis, nõ erit obſcurus dictionis *αὐτόθεν κατάβαλε* ſenſus. Nihil enim ſignificat aliud, quàm quod ſimili prouerbio dicitur, Teipſum inſpice. Et quoniam nunc alterius in eodem oratore loci in mentẽ uenit, quẽ uir idẽ, cũ nõ ſatis eſſet aſſecutus, ad prouerbiũ reducere conatus eſt: non faciã, ſpero, præter officiũ, ſi germanũ eius intellectũ paulo fuſius heic expli cuero, quàm annotationes, quas huic autori adiecimus, patiebantur. Itaq; cũ prouerbiũ, Quod index auro, id aurum homini, expoſuiſſet, addit deniq;: *Alluſit huc Ariſtides in Themiſtocle, καὶ μή μοι λόγῳ τὸν χρυσὸν, ἀλλὰ τὴν βάσανον προσάγων σκόπει. id eſt, Neq; mihi, quod dicitur, aurum, ſed ipſum admouens indicem conſidera.* Verùm ab hac interpretatione longè alienus eſt Ariſtidis locus: qui cum oſtendiſſet, quanto rerum diſcrimini ſe Themiſtocles primùm immiſcuiſſet, ſubijcit: *αὕτη πρώτη θεμιστοκλέους ἐξέτασις καὶ κρίσις. ἐντεῦθεν ὅρα τὸν ἄνδρα ἀπὸ γραμμῆς ἀρξάμενος, καὶ μή μοι λόγῳ τὸν χρυσὸν, ἀλλὰ τὴν βάσανον προσάγων σκόπει. τῆς γὰρ εἰκόνος μέμνησαι τοῦ σαυτοῦ.* quæ quidẽ poſtrema uerba totam ferè difficultatem expediũt. Alluſerat enim in prioribus, quemadmodum ſæpe facit, ad Platonis uerba, quæ leguntur in Gorgia. Ibi namq; cum Callicles oratione longa Socratem nimij philo-

ſophiæ

ſophiæ ſtudij accuſaſſet, ille tandem reſpondet: *εἰ χρυσῆν ἔχων ἐτύγχανον τὴν ψυχὴν ὦ Καλλίκλεις, οὐκ ἂν οἴει με ἄσμενον εὑρεῖν ἄσμενον τινὰ τῶν λίθων, ᾗ βασανίζουσι τὸν χρυσόν, τὴν ἀρίστην, πρὸς ἥν τινα ἔμελλον προσαγαγὼν αὐτήν, εἴ μοι ὁμολογήσει ἐκείνη καλῶς τεθεραπεῦσθαι τὴν ψυχήν, ἤδη εὖ εἴσεσθαι ὅτι ἱκανῶς ἔχω, καὶ οὐδέν μοι ἔτι δεῖ ἄλλης βασάνου.* quę poſtea ſic explicat: *τούτων πέρι νυνὶ ἐάν τι σὺ ἐν τοῖς λόγοις ὁμολογήσῃς μοι, βεβασανισμένον τοῦτ' ἤδη ἔσται ἱκανῶς ὑπ' ἐμοῦ τε καὶ σοῦ, καὶ οὐκέτι αὐτὸ δεήσει ἐπ' ἄλλην βάσανον ἀναφέρειν.* Dicit igitˋ Socrates, ſe opiniones ſuas omnes ac ſentētias ad Calliclē, & eius ſermonē, quaſi indicē lapidem, referre uelle: atq; ita, quod index iſte comprobarit, ratum & uerū habere. Huc igitur alludens Ariſtides, ut ad eum tandem redeamus, ait ad ipſum Platonem: *καὶ μή μοι λόγῳ τὸν χρυσὸν, ἀλλὰ τὴν βάσανον προσάγων σκόπει.* niſi quod ante *τὴν βάσανον* deeſt *πρὸς*, quemadmodū & ſenſus ipſe, & uerba Platonis apertè demonſtrant. Quod igitur ait, *μή μοι λόγῳ τὸν χρυσὸν προσάγων*, partim ad hæc Platonis alludit uerba, *ἐάν τι σὺ ἐν τοῖς λόγοις ὁμολογήσῃς μοι*: partim ad illa, *εἰ χρυσῆν ἔχων ἐτύγχανον τὴν ψυχήν*. Iam quod addit, *ἀλλὰ πρὸς τὴν βάσανον*, non uerborum diſputationi, ſed rerum diſcrimini attendendū eſſe admonet. Nam, ut idem ait alibi, *οὐχ ὅμοιον ἐν μέσῃ τῇ θαλάσσῃ περὶ τῶν ἐν τῷ πλοίῳ λέγειν, καὶ τὴν*

τὴν εὐψυχίαν τὴν αὐτοῦ δείκνυμαι, καὶ καθήμενον ἔξω τῆς ζάλης ὑπὸ τῷ τειχίῳ. Atque hæc ferè ſunt, quæ de hoc loco habuimus dicere, non tam cuiuſquam ſugillandi (nihil enim facio minus libenter) quàm illuſtrandi bonos autores ſtudio moti.

Horatij commentaria reſtituta.

Cap. 16

SI quibuſdam integros ſuarum Lectionum libros in Acronem uel Porphyrionem (nam horum cõmentaria ſæpe confunduntur) ex manuſcriptis emendandũ licuit impendere: nec nobis, ut ſpero, uicio dabitur, ſi eidem autori caſtigando particulam aliquam libelli noſtri tribuemus. Breuiter autẽ hoc & ſuccinctè faciemus, ac in ea tantum commentariorum parte (Sermonibus uidelicet, & Epiſtolis) quæ fuit ab illis propter codicum penuriam prætermiſſa.

Satyr. 3. li. 2. Horatius:

Scribe decem Nerio: non eſt ſatis? &c.

Porphyrio: *Quidam Anerio legunt. Verùm hic, & Cicuta, iuris fuerunt ſtudioſi. Auaros tangit. Senſus eſt: Pecuniam à feneratore acceptam lege 12 tab. quas Nerio inſtituit, & alijs centũ Perillius. Cicuta amariſſimus conſignatores furabitur.*

Vetus codex hæc emendatius & latius habet: Quidam Anerio (à Nerio, repono) legunt. Verùm hic, & Cicuta, iuris fuerunt periti,

periti,& argumētoſi. unde multa argumenta & nodoſitates in iudicijs inuenerūt: quos quaſi auaros tangit. Senſus eſt: Pecuniam à feneratore acceptam lege 10 tab. quas Nerius inſtituit, & alijs centum, quas Perillius Cicuta inſtituit auariſsimus, conſignatores fruſtrabitur.

Horatius, Cum rapies in iura malis ridentem alienis.

Porphyrio: *Græcus eſt. quod ſignificat, Si in ius rapere cœperis, non ex animo ridebis.* Vetus prima duo uerba non habet, & poſtremis hæc ſubiungit: hoc eſt, alienis malis. id eſt, maxillis. Quibus uerbis illorum confirmatur coniectura, qui carmen hoc ita legunt:

Cum rapies in ius malis ridentem alienis.

atque ita nuper illud in antiquiſsimo libro legere memini.

Horatius: Mutatus Polemon ponas inſignia morbi.

Acron: *Fuit autem Xenocrates philoſophus continens nimis: de quo Lais meretrix ſponſionem fecerat, quòd eum ad ſuos ſolicitare poſſet concubitus. & nocte quadam terrorem finxit, & confugit ad eum, & quaſi nocte hac cum eo manſit. Ille immobilis iacuit. Poſtea dum ſoluere ſponſionem cogeretur, reſpondit, Ego non de ſtatua ſponſionem feci.* Vetus longè melius: Fuit autem Xenocrates philoſophus cōtinentiſsimus, de quo

Laís meretrix ſponſionem fecerat, ut eum ad ſuos ſolicitaret concubitus. Nocte ergo quadam terrorem ſinxit, & confugit ad eũ, & quaſi neceſsitate coacta cum eo manſit. Ille uerò immobilis iacuit. Pòſt dum ſoluere ſponſionem cogeretur, reſpondit: Ego de homine, non de ſtatua ſponſionem feci.

Horatius, Bellua cognatos eliſerit.

Porphyrio: *Annotandum, quòd in hoc loco cognatos pro filijs poſuit: id eſt, ſecum natos: id eſt, congregatos.* Vetus hæc poſtrema ſic legit, Secũ natos & congeneratos.

Horatius, Adde poemata nunc: hoc eſt, oleum adde camino.

Prophyr. *Vſus eſt uulgari prouerbio.* Oleum ī *incendium.* Vetus hæc coniungit. Vſus uulgari eſt prouerbio, Oleum in incendium.

Satyr. 4. Horatius: Poſt uinum ſtomacho, perna magis, ac magis hillis.

Acron: *Hilla dicuntur ſalſa inteſtina hirci. Poſitum eſt diminutiuè hæc Hilla. Quidam tamen in diminutione neutri generis eſſe dicunt. alij dicunt farta ſalſicia.* Vetus longè emendatius: Hillę & Hilli dicũtur ſalſa (farta lego) inteſtina. Hirri (in Feſto ſunt Hiræ) poſitiuus eſt. diminutiuè Hilli dicuntur. Hęc Hilla quidam in diminutione neutri generis eſſe, alij dicunt Hilli ſiue Hilla fartata ſalſiticia. Duo tamē hęc poſtrema, corrupta iudico, legendumq́; ut eſt

ut eſt impreſſum, Farta ſalſicia. Ac puto ſalſi cia heic dici, quæ Galli ſaulciſſes uocãt. hæc enim cum pernis aptè coniungũtur. Nec ſemel Gallicis uocabulis hic interpres utitur.

Horatius: Stet capite obſtipo, multum ſimilis metuenti. *Sat.5.*

Porphyr. *Triſti ac ſeuero. Secus in clinato dicit.* Rectius uetus: Scaurus inclinato dicit.

Horatius: Quinq; bonos ſolitum Bariam dimittere patres. *Epiſt.14.li.1.*

Acron, *Baria autem eſt locus in Sabinis, celeberrimus agro*. Vetus pro *agro* habet Aliquando, & hæc addit: Ad quem ſoliti erant tranſi re ad agendas cauſas.

Horatius, Optat ephippia bos piger.——

Acron: *Alij ſegmenta, nonnulli ea per iugum equis curribus imponuntur.* Vetus emendatè: Alij ſagmata, nonnnulli ea quæ propter iu gum equis currilibus imponuntur.

Horatius, Cum ſeruis urbana diaria rodere mauis.

Porphyr. *Non cum ſeruis nomen, ſed cum ſeruis rodere mauis*. Ego ſic emendo: Non cum ſeruis mouentem.

Horatius: Pallerem caſu, biberent exangue cuminum. *Epiſt.19.*

Acron: *Vt pallorem nimium poſſint imitari*. Vetus melius: Vt pallorem meum poſſ. imit. Vnum ſi addidero, finem faciam. Horatius, In-

Epod.17. us, Inultus ut tu riſeris Cocytia Vulgata, ſacrum liberi Cupidinis. Porphyr. *Cocytia autem ſacrum Cupidinis eſſe dicit, quia maleficia hæc, quæ per inferna fiunt, ad amorem pertinere, uult intelligi. Et liberum Cupidinem dixit, quòd quaſi nulli obnoxius ſit, & omnes amores laudat.* Hæc poſtrema correctius habentur in uetuſto: Et liberum Cupidinem dixit, quaſi nulli obnoxius ſit, & omnes amores ludat.

Euripides in Supplicibus caſtigatus.

Cap.17.

ὁ γὰρ χρόνος μάθησιν ἀντὶ τοῦ τάχους
κρείσσω δίδωσι γᾶ. πόνος δ' ἀνὴρ πένης
εἰ καὶ γένοιτο, κἀμαθὴς ἔργων ὕπο,
οὐκ ἂν δύναιτο πρὸς τὰ κοίν' ἀποβλέπειν,

Præconis eſt in Supplicibus gnome, quanquam ſubobſcura, quoniam corrupta. Mirari uerò licet heic interpretum audaciam, qui γᾶ exponunt, hominibus: &, πόνος, labori deditus. quibus quidem interpretationibus, diſperéam, ſi quid unquam uidi ineptius. Verùm ego pro γᾶ πόνος una uoce lego, γαπόνος, ac diſtinctionis præpono ſignum. hac enim ſola ratione uideo locum hunc reſtitui poſſe. Sed nec iſta εἰ καὶ γένοιτο, nimis rectè ſe uidentur habere, quoniam tautologiam ſapiunt. Sed quia nihil nunc nobis ſuccurrit amplius, niſi fortè πέλοιτο,

uel

uel *γῦροιτο* ſit legendum, alijs quoq; ſymbolæ locum dabimus. Quod autem ſub finem huius tragœdiæ inquit Iphis,

μισῶ δ᾽ ὅσοι χρῄζουσιν ἐκτείνειν βίον,
νώτοισι καὶ στρωμναῖσι καὶ μαντεύμασιν
παρεκτρέποντες ὀχετόν, &c.

ſecundus eius periodi uerſus admodũ corruptus eſt, ac præſertim in uoce *νώτοισι*: pro qua qui *νωθροῖσι* ſubſtituunt, ad Lexica relegandi ſunt, ut diſcant quid *νωθρὸς* ſignificet. Veram autem huius loci ſcripturam in Plutarchi Cõſolatione reſtare arbitror. is enim hunc uerſum ita citat:

βρωτοῖσι καὶ ποτοῖσι καὶ μαγεύμασιν.

quæ lectio prorſus eſt apertiſsima. Quin & proximè ſequentem uerſum,

οὓς χρῆν, ἐπειδὰν μηδὲν ὠφελοῦν πόλιν,
θανόντας ἔρρειν:——

uidetur idem Plutarchus ibidem paulo rectius legere, hoc modo: *ἐπειδὰν μηδὲν ὠφελῶσι γῆν.* Paulo pòſt inquit ad Iphim filiolus,

ἆρ᾽ ἀσπιδοῦχος ἔτι ποτ᾽ ἀντιτίσομαι
σὸν φόνον;——

Heic pro *ἀντιτίσομαι* libenter equidem repoſuerim *ἀντιτίσωμαι*. Nam qui alteram ſequi lectionem uelit, is eam quomodo tueri poſsit, equidem non uideo.

Ciceronis locus expoſitus, & emendatus. *Cap.* 18.

DIgnus extat apud Ciceronem, ſi quiſquam alius, egregio uindice nodus, & cui haud ſcio an noſtra qualiſcunque induſtria opem poſsit ullam adferre: conatus tamen, ut ſperamus, non improbabitur. Eſt igitur apud eum Quintus frater, cum nobilitati magis faueret, contra Tribunatum cũ Marco diſputans, eiusque ſententiam de iſta poteſtate propius inquirens, quæ ſibi quidem peſtifera uideatur, ac in hec deinde uerba prorumpens: *Cuius primum ortum ſi recordari uolumus, inter arma ciuiũ, et occupatis & obſeſſis Vrbis locis procreatum uidemus. Deinde cum eſſet citò legatus tanquam ex* 12 *tab. inſignis ad deformitatem puer, breui tempore neſcio quo pacto creatus, multoq́; tetrior & fœdior natus eſt.* Cuius periodi difficultas tota in duabus præcipue uocibus, quæ meritò cuiuis ſuſpectæ poſsint eſſe, cõſiſtit, *legatus* & *creatus*. Nã priora illa ſatis facilia ſunt, ſi quis tantum animaduertat, Ciceronem de Tribunatu κατὰ προσωποποιΐαν loqui. Ceterùm quòd ait, puerum iſtum citò legatum fuiſſe: id alij ad legatos, qui ſæpe pro tempore ſubitò emittebantur, referunt: alij in Stolo Caius mutandum cenſent, Ego pro *legatus*, leuiſsima omnino mutatione, repono Ablegatus: id quod & cum

hiſtoria,

hiſtoria,& cum iure 12 tab. conſentiet. Nam & ſublati ſunt per Xuiros Tribuni: & lex 12 tab. eò uidetur ſpectaſſe, ut inſignes pueri (ij qui dicantur, ab alijs iam explicatum eſt) ſimulac nati eſſent, de medio tollerentur, quod equidem eo facilius receptum iri ſpero, quòd Romulus quoq; ſimilis decreti legē tulerit, ut Halicarnaſſeus teſtatur. Hoc igitur ait Cicero, Tribunatū non ſecus atq; partum monſtroſum, quem leges tolli iubebant, ablegatum fuiſſe. Quod ſequitur deinde, eundem breui tempore creatū fuiſſe, facillimum habebit ſenſum, ſi pro *creatus* legas Renatus: aut potius, ut uult Obertus Giſanius, Recreatus. Alioqui quomodo nunc demum creatus dicetur, quem olim arma ciuium procrearint? Etenim ut Tribunos ſuſtulerant Xuiri: ita uiciſsim ſublatis Xuiris, iterum creati ſunt Tribuni, referentibus ad populum ea de re Coſſ. Tum uerò tantum abfuit, inquit Orator, ut partus iſte monſtroſus formam aliquam idoneam acceperit, ut etiam tetrior quàm antè, multoq; fœdior extiterit. Hanc eſſe genuinā huius loci tum lectionem, tum expoſitionem, nemo, credo, qui modò rem totam penitius introſpexerit, negare poterit.

Aeſchylus notatus. Cap. 19.

QVod olim de Aeſchylo annotarunt quidam, eum in Prometheo uincto quędam non ſatis concinnè, nec aptè, prout Tragœdiæ leges requirebant, confinxiſſe: eò illud uel maximè referendum putarim, quòd in eadem fabula de futura Promethei liberatione tam ambiguè atq; perplexè loquitur, ut ipſe ſibi nequaquam conſtare poſſit. Nam cum de Promethei ſolutione duæ ferantur diuerſæ autorum ſententiæ, quarũ altera eum à Ioue, cum illum, ne Thetidem duceret, admonuiſſet, liberatum tradit: altera Herculi, cum quidem à Themide Iupiter admonitus fuiſſet, facinus hoc tribuit. Aeſchylus harum non alterutram, ſed utramq; ſimul, & nũc hanc, nunc illã permagna cũ cõfuſione ſequitur. Ac de Ioue quidẽ liberaturo ſic apud ipſum loquitur Prometheus:

——τὸν δὲ γὰρ σώζων ἐγὼ
δεσμοὺς ἀεικεῖς καὶ δύας ἐκφυγγάνω. &
τοιῶνδε μόχθων ἐκτροπὴν οὐδεὶς θεῶν
δύναιτ' ἂν αὐτῷ, πλὴν ἐμοῦ, δεῖξαι σαφῶς. &,
οὐκ ἔστιν αἴκισμ', οὐδὲ μηχάνημ', ὅτῳ
προτρέψεταί με Ζεὺς γεγωνῆσαι τάδε,
πρὶν ἂν χαλασθῇ δεσμὰ λυμαντήρια.

De Hercule uerò hæc ad Ionem profert:

σπορᾶς γε μὴν ἐκ τῆσδε φύσεται θρασὺς
τόξοισι κλεινὸς, ὃς πόνων ἐκ τῶνδ' ἐμὲ

λύσει

λύσῃ. ——& adipſum Vulcanus initio fabulæ,

——ὁ λωφήσων γὰρ οὐ πέφυκέ πω.

Quid quod eodem in loco quodã utramq; hiſtoriã Poeta confundit, ubi hæc ſunt eius ἀμοιβαῖα:

ἰω. οὐδ' ἔστιν αὐτῷ (ζῶντι) τῶν δ' ἀποστροφὴ τύχης;

πρ. οὐ δῆτα, πρὶν ἔγωγ' ἂν ἐκ δεσμῶν λυθῶ.

ἰω. τίς οὖν ὁ λύσων σ' ἐστὶν ἄκοντος Διός;

πρ. τῶν σῶν τιν' αὐτὸν ἐκγόνων εἶναι χρεών.

In προμηθεῖ λυομένῳ certè Herculem uidetur huius liberationis autorẽ feciſſe: quantum ex eius fabulæ fragmentis, quæ apud Strabonem, Halicarnaſſ. & Galenum extant, colligere licuit. Id autem nequaquam ab Hercule Iouis iuſſu præſtitum fuiſſe, ut uolunt quidam, facilè conuincunt uerſus proximè citati, in quibus legitur, ἄκοντος Διός. Quin & qui Ioui liberationem tribuunt, ut Lucianus: in ea Vulcani operam, non Herculis, interceſsiſſe tradunt.

Plauti prologi duo caſtigati.
Cap. 20.

EXtremam huius libri operam Plauto comico nauabimus, ex eoq; maculas duas ſatis inſignes ingenioſæ coniecturæ ſpongia eluemus. In Aſinaria primum extremo prologo hæc habentur uerba:

——*date benignè operam mihi,*

Vt uos

Vt uos item alias, pariter nunc Mars adiuuet.

Quem uerſum poſteriorem ſic emendo:
Vt uos item alias, pariter nunc me ars adiuuet.
Loquitur enim de arte ſua ſcenica, quam ſibi cupit, quemadmodum & ſpectatoribus ſuam cuiq;, non incommodã euenire. Nam Marti quidem quid cum theatris queat intercedere negocij, nõ uideo. Niſi forte ludi fuere ſacri, & *ut* bis erit ſumendũ. Similiter autem in Caſinę prologo locus quidam corruptus eſt, ubi ſic legitur:
Aures uotiuæ ſi ſunt, animum aduortite.

Ego ſic lego, *Aures uaciuæ ſi ſunt, a. a.*

Vaciuum enim pro uacuo ſæpius uſurpat Plautus, ut in hac fabula primum,
Vt bene uaciuas ædes feciſti mihi? & in Bacchidibus,
Valens afflictat me uaciuom uirium? & rurſum Pſeudolo,
Fac ſis uaciuas Pſeudole ædes aurium. & apertiſsimè deniq; in Prologo Trinummi,
Sed ea huc quid introierit impulſu meo,
Accipite, & date uaciuas aures, dum eloquar.

GVLIELMI CANTERI NOVARVM LECTIONVM Liber Tertius.

Heliodorus auctus. Cap. I.

Æthiopicam Heliodori hiſtoriã non immeritò uir quidã huius ſæculi doctiſsimus, Epicis poetis accuratiſsimè legendam, & pro optimo exemplari proponendam cenſuit. Eius iudicium cum nos facilè ſequeremur, fecimus libenter, ut huius autoris loca quædam mutila ac deprauata, ſcriptorum codicum auxilio integritati ſuæ reſtitueremus: quo commodius tanto theſauro, & tã amena lectione ſtudioſi omnes, ut debent, fruantur. Primùm ergo quod le- Fol. 37.
gitur, *τάχα μὲν καὶ εὐλαβηθεῖσα τὴν γυμνήν*, ita corriges: *τάχα μὲν καὶ εὐλαβηθεῖσα, πλέον δ' ἄρα καταισχυνθεῖσα τὴν γυμνήν*. Deinde illud, 39
καὶ διότι βέλτιον ἦν, emenda: *καὶ διότι τοῦτο λέγοι, πυνθανομένου, διότι βέλτιον ἦν*. Tum hæc, *τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον μετάγον μεταβολήν, ἐκφυγεῖν δ'* 47.
οὐκ ἐφικτὸν, ſic caſtiga: *τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον ἐπάγον μεταβολήν, ἣν ἐμοὶ σοφία μὲν προέφηνεν, διαδρᾶναι δ' οὐκ ἔδωκεν. τοὺς γὰρ μοιρῶν ἀτρέπτους ὅρους προϊδεῖν μὲν δυνατὸν, ἐκφυγεῖν δ' οὐκ ἐφικτόν*. Iã oda pentametris uerſibus cõſcripta, ſic eſt emendanda & digerenda: 59

τὰν

τὰν θέτιν ἀείδω χρυσοέθειρα θέτι,
νηρέως ἀθανάταν εἰναλίοιο κόραν,
τὰν διὸς ἐννεσίῃ πήλεϊ γημαμέναν,
τὰν ἁλὸς ἀγλαΐαν, ἀμετέραν παφίαν.
δουρομανῆ τόν τε τῶν πολέμων ἄρεα
ἑλλάδος ἀστεροπὰν ἐξέτεκε λαγόνων
δῖον ἀχιλλῆα, τοῦ κλέος οὐράνιον.
τῷ ὑπὸ πύῤῥα τέκε παῖδα νεοπτόλεμον,
περσέπτολιν τρώων, ῥυσίπολιν δαναῶν.
ἱλήκοις ἥρως ἄμμι νεοπτόλεμε
ὄλβια πυθιάδι νῦν χθονὶ κευθόμενε,
δέχνυσο δ' ὑμναίων τάνδε θυηπολίαν,
πᾶν δ' ἀπέρυκε δέος ἀμετέρας πόλιος.
τὰν θέτιν ἀείδω χρυσοέθειρα θέτι.

77 Deinde poſt ἀπαλλάξεται, deſunt hæc: ἕτε-
ρον δέ τι τῶν σοι καθ' ἡδονὴν ὑποστήσεται. κωλύει δ' οὐ-
δὲν καὶ ἰατρῶν τινὰ προσκαλεῖν. Poſtea illud, βα-
143 κτηρίαν ἀποῤῥίψας εἰς ἱκετηρίαν, ita corrige: βα
κτηρίαν ἀποῤῥίψας ἔστη κατὰ πρόσωπον, καὶ ὤφθη γερα
ρός τε καὶ ἱεροπρεπὴς, ὑποκλάσας τε ἠρέμα, καὶ τὰς
204 χεῖρας εἰς ἱκετηρίαν. Tum uerſum ſecundum
ſic lege: οἱ δὲ μικροῖς μὲν τοῖς βέλεσιν, ἰῷ δὲ δρακόν-
των πεφαρμαγμένοις εἰστοξεύοντες, ὀξὺν τινα καὶ ἀπό-
τομον θάνατον ἐπέφερον. τοξεύουσι δὲ οἱ τῶν κινναμοφό-
ρου, παίζειν πλέον ἢ σπουδάζειν τὴν τοξείαν ἐοικότες:
232 πλέγμα γάρ τι, &c. Deniq; hæc, φερόμενοι δ' ἀ-
τάκτως, &c. ſic emendabis: φερόμενοι δ' ἀτάκ-
τως καὶ τὸ μεσεῦον ἅπαν δρόμοις σεσοβημένοις ἐξελίτ-
τοντες, καὶ τὸ προστυχὸν ἅπαν εἴτε σκεῦος εἴτε ζῶον
ἀνατρέποντες.

Ex Lucano menda quædam ſublata. Cap.2.

Vnde hoc? inquiet aliquis. dicam. Cũ Nonius Marcellus ex Mercatore Plauti citet hæc, *Noctuq; & diu ut uiro ſubdola ſis:* quæ tamen in ea fabula nõ reperiãtur: audacter aio, memoria lapſum Nonium, Mercatorẽ pro Caſina perperã ſumſiſſe: cum iſta, quæ citauit, ad hunc Caſinæ locum & ſimilitudinis, & ſententiæ, atq; etiam uerſus ipſius cauſa prorſus pertineant. Ne quis porrò miretur, fabularum nomina ſępe tranſponi, ſimile quoddam, quod nunc ex eodem comico ſuccurrit, exemplum aſſeribam. Quæ nãque citauit Fulgentius grãmaticus ex Plauti Chryſalo uerba,

Fortè ego ut in ſtega conſederam:

ea ſunt

ea ſunt Chryſali ſerui Bacchidibus. nã Chryſalum fabulam quidem nũquam, credo, ſcripſit Plautus. Quin & hunc ut eximam ſcrupulum, quòd ex Nonio ſuprà citata Plauti uerba corruptiora uideantur ipſa, quàm ut aliud uulnus rectè ſanare poſsint: adferam uerſus alios tres, quos ex eodem autore ita corruptè citauit, ut à quibuſdam pro ijs, qui apud Plautum nuſquam ſuis in comœdijs extarent, habiti ſint. Primus eſt ex Rudente, quem ſic habet Nonius:

Quo in loco ſis neſcius, neſcias peſſumus.

nec melius Agellius lib. 9. cap. 12. uerum ſic legendus eſt è poſtrema ſcena actus primi,

Quæ in locis neſcijs neſcia ſpe ſumus.

Alter ex Truculento ſic legitur in eodem Nonio,

Dum abeam quodam: & ubi nihil cœpiam.

ſed è ſecunda ſcena reſtituetur hoc modo,

Dum habeat, tum amet: ubi nihil habeat, aliũ quæſtum coepiat.

Tertius ex Milite ſic habet,

Siue animo obſequere mecum, atq; onerate hilaritudine.

uerum ita ſcribendus,

Es, bibe, animo obſequere, &c. quæ ſunt Periplectomenis ad Pleuſidem uerba.

Plutarchi dictionis origo demonſtrata.
Cap. 7.

PLutarchus in lib. quo docet, quomodo ſeipſum quis ſine inuidia laudare poſſit, ijs hoc potiſsimum cõuenire tradit, qui uel rei peraguntur, ac periclitantur, uel alioqui grauiore aliquo premũtur infortunio. Id autem ſimilitudine elegantiſsima declarat: quam nos, quo facilius adrẽ ueniamus, Græcè proponemus. ὥσπερ οὖν τοὺς ἐν τῷ περιπατεῖν ἐπαιρομένους καὶ ὑψαυχενοῦντας, ἀνοήτους ἡγούμεθα καὶ κενούς, ἂν δὲ πυκτεύοντες ἢ μαχόμενοι διεγείρωσι καὶ ἀνάγωσιν ἑαυτοὺς, ἐπαινοῦμεν· οὕτως ἀνὴρ ὑπὸ τύχης σφαλλόμενος, ἑαυτὸν εἰς ὀρθὸν καθιστὰς καὶ ἀντίπαλον, πύκτης ὅπως εἰς χεῖρας ἐκ τοῦ ταπεινοῦ καὶ οἰκτροῦ τῇ μεγαλαυχίᾳ μεταφέρων εἰς τὸ γαῦρον καὶ ὑψηλὸν, οὐκ ἐπαχθὴς οὐδὲ θρασύς, ἀλλὰ μέγας εἶναι δοκεῖ, καὶ ἀήττητος. Ceterùm admonendus eſt lector in Plutarchi lectione minus exercitatus, illud πύκτης ὅπως εἰς χεῖρας, nequaquã Plutarchi proprium eſſe, uerùm ex Sophoclis quodam carmine deſumtum: quod quoniam non omnibus in promtu eſſe credo, indicare non grauabor. In Trachinijs igit̃ Deianira de ui amoris loquens, ait:

ἔρωτι μὲν νῦν ὅστις ἀντανίσταται
πύκτης ὅπως ἐς χεῖρας, οὐ καλῶς φρονεῖ.

Quod Scholiaſtæ ſic exponũt, εὐήθης ἐστὶν, ὅστις προσδοκᾷ ἀντιπυκτεῦσαι τῷ ἔρωτι. Idem porrò

loquen-

loquendi genus apertius aliquanto Plutarchus idem in Solone expreſsit, de quo hæc ſunt eius ſub initium uerba: ὅτι ἢ πρὸς τὸν καλὸς οὐκ ἦν ἐχυρὸς ὁ σόλων, ὐδ᾽ ἔρωτι θαῤῥαλέως ἀνταναςῆναι πύκτης ὅπως ἐς χεῖρας, ἔκ τε τῶν ποιημάτων αὐτοῦ λαβεῖν ἐςι, &c. Præterea non abhorret ab hac phraſi, quod in Heraclidis Euripides Iolaum loquentem fecit:

ὦ τέκν᾽ ἔοιγμεν ναυτίλοισιν, οἵ τινες
χειμῶνος ἐκφυγόντες ἄγριον μένος,
εἰς χεῖρα γῇ συνῆψαν. εἶτα χερσόθεν
πνοαῖσιν ἠλάθησαν εἰς πόντον πάλιν.

Propertij locus emendatus. Cap. 8.

PRopertius lib. ſecundo, elegiam nonã ſic orditur:

Iſte quod eſt, ego ſæpe fui: ſed fors & in hora,
Hoc ipſo eiecto, carior alter erit.

Mendũ eſt hoc in loco nõ uulgare, quãquã id nemo facile prima fronte detexerit. Legendum etenim uno uerbo Forſet, aut potius Forſit: quod eſt dubitandi uocabulum, ut ex Horatij locis duobus conſtat. Nã primum ſat. 6. lib. prioris ait,

Diſsimile hoc illi eſt, quia non ut forſit honorem
Iure mihi inuideat quiuis, ita te quoq; amicum.

Sic enim legendum eſſe hunc locũ docent, præter Priſcianum, antiqua multa exemplaria, & Interpres uterq;. Deinde oda 28. lib. primi legitur,

Negligis immeritis nocituram
Poſtmodo te natis fraudem committere? forſit
Debita iura, uicesq́; ſuperbæ
Te maneant ipſum.——

Nam & hunc locum ita corrigendum eſſe, cũ antea legeretur Fors &, tum ex antiquo didici códice, tum rectè coniecit D. Lambinus Monſtrolienſis, quẽ honoris cauſa nominatum uolo. Apud Virgilium quoq; in his uerſibus lib. undecimi,

Et nunc ille quidem ſpe multum captus inani
Fors & uota facit, cumulatq́; altaria donis:

aliter legitur Forſet, uel Forſit, ac melius quidẽ: quod nec Seruius diſſimulat. Lucretius etiam lib. ſexto de Nilo ſic ait,

Forſit & Aethiopum penitus de montibus altis
Creſcat.——.

Dicitur autem Forſit, quaſi Fors ſit: quemadmodum dixit in Hecyra Terentius, *Fors fuat pol*. & ſic in Horatij ſatyra, ſuprà citata diſiunctim hoc uocabulum in antiquo codice legitur.

Diodorus Siculus duobus in locis correctus. Cap. 9.

Diodori Siculi Bibliotheca multis de cauſis debet omnibus rerum Græcarum ſtudioſis eſſe cariſsima, quandoquidẽ ea quę apud uarios hiſtoricos, quorum iam intercidęre permulti, antè fuerant diſperſa,

concinnè

concinnè in unũ redacta continet. Ac Græciæ quidem hiſtoria breuiter ea complectitur omnia, quæcunq; multis uoluminibus Herodotus, Thucydides, Xenophõ, Theopompus, Philiſtus, Cteſias, Calliſthenes, Duris, Anaximenes, Dionyſiodorus, Anaxis, Demophilus, Ephorus, Diyllus, aliíq; complures tractarunt. Quare non abſurdũ credo uiſum iri, ſi quid in hunc ſcriptorem uolemus annotare. Itaq; cum Periclis mentionem facit lib. 16. meminit etiam Ariſtophanis de Pericle loquentis, his uerbis: μέμνηται δὲ τούτων καὶ Ἀριστοφάνης ὁ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητής, γεγονὼς κατὰ τὴν τοῦ Περικλέους ἡλικίαν, ἐν δὲ τοῖς γεγραμμένοις. quæ poſtrema ſic emendo, ἐν τοῖσδε τοῖς τετραμέτροις. Quos enim deinceps producit Ariſtophanis uerſus, ij trochaici ſunt tetrametri catalectici. Reperiuntur autem in Pace, ac plures etiam, quam in Diodoro leguntur. Eodẽ deinde libro ſic ait: ἐπὶ δὲ τούτων Σάμιοι μὲν πρὸς Μιλησίους περὶ εἰρήνης ἀμφισβητήσαντες, εἰς πόλεμον κατέστησαν. Fol. 301. Legendum autem περὶ Πριήνης. Sic enim Thucyd. ἔκτῳ δ' ἔτει Σαμίοις καὶ Μιλησίοις πόλεμος ἐγένετο περὶ Πριήνης. Lib. 1.

Feſtus notatus: Plautus expoſitus.

Cap. 10.

FEſtus ait: *Halapanta ſignificat omnia mentientem, ab eo quòd halet omnia*, ἄλλως e-

nim Græci τὴν πλάνην, id eſt fallentem appellant. O monſtroſi uocabuli monſtroſiorem explicationem. Nam ſiue Halapanta habet τὰ πάντα, Græcolatinum erit uocabulũ, ſi quidem Halare pro mentiri quiſquam uſurpatum legerit: ſiue omnes decipiat ac fallat, iã non ἅλη, ſed ἄλη ſcribitur: nec ea tam fallentis eſt, quàm errantis hominis. Videt̃ ergo corruptum fuiſſe hoc uocabulum ex Halophanta, quod in Plauto reperitur in Curculione, initio ſcenæ primæ quarti actus:

Aedepol nugatorem lepidum lepidè hunc nactuſt
Phædromus:
Halophantam, an ſycophantam hunc magis eſſe dicam, neſcio.

quem quidem locum ſiue cum aliter legeret, ſic interpretandum, ſiue cum non intelligeret, aliter legendum (ut uidetur innuere doctiſ. Camerarius) cẽſuit Feſtus, utroq; modo negligentem ſe & ridiculum grammaticum præbuit. Et quemadmodũ huius interpretationem reijcio, ita nec Nonium recipio, qui uult Halophantam à conſuendis mendacijs dici. in qua eius etymologia ut uerbum ὑφαίνειν uſurpatum agnoſco, ita mendacia ubi conſuat, non uideo, niſi fortè cum Feſto ἄλην pro mendacio ſumſerit. Quidam porrò noſtræ ætatis Lexicographi, Nonium iuuare cupientes, Holophantam

tam dici uoluerunt. id quod non minus eſt, quàm illa, ineptum, quamuis à magnis uiris approbetur. Proximè omnium ad rem acceſsit is, quem modò nominaui, doctus uir: qui putat luſiſſe Plautum ficto nomine de ſale, re & ipſa uili, ut alterum fictum eſſet de ficis. Veruntamen nec hoc, quod pace tanti uiri dixerim, undiq; ſatisfacit. Quid ergo dicemus? aliquid ſaltē, ut iſta ne dicamus. Atque exiſtimo primū, Curculionem paraſitū habitu nautico ſeu marino, quandoquidē ē Caria ꝑ mare Epidaurū appulerat, ad Lyconē trapezitā ueniſſe, ut patet ex uerbis Choragi, *Ornamenta, quæ locaui, metuo ut poſſim recipere*: ac pateret etiā magis, niſi, qđ ego ſemper ſuſpicatus ſum, aliquot in hac comœdia ſcenę deſiderarentur, actu tertio pręſertim, qui unam duntaxat habet. Sed ad rem. Dubitat igitur Choragus, utrum paraſitū hūc, cui ueſtes ſuas commodarat, halophantam potius, an ſycophantam dicere debeat. Nā ſiue ad habitum eius nauticum reſpiceret, tranſmarinus quidam, non urbanus impoſtor apparebat: ſiue ipſum hominem contēplaretur, nihil aliud quàm permagnum ardelionem, & ad fallendum atq; calumniandū aptiſsimū cōperibat. Iam paraſiti multi etiā ſycophantę olim erant: ſi quid hoc nos iuuat. Atq; hæc ferè nobis, quæ de hoc loco

dicere-

diceremus, nunc ſuccurrebant: quæ ſi non erunt omnium optima, tamē alijs ad melio-ra excitandis poterunt ſufficere.

Euripidis locus emendatus, & alter explicatus. *Cap.* II.

ΕΝῷ γὰρ ἦν μοι πάντα γιγνώσκειν καλῶς,
κάκιστος ἀνδρῶν ἐκβέβηχ' οὑμὸς πόσις:

Verba ſunt apud Euripidem Medeæ, cauſam reddentis, cur ex hac uita ſibi diſcedendū putet: uerùm ſubdifficilia & ſubobſcura, atque adeò ſuſpecta, præſertim cum Scholiaſtes prioris uerſus finem aliter legendum uideatur cenſere. hæc enim ſunt eius uerba, ἐν ᾧ ἦν μοι πάντα, κάκιστος ἀνδρῶν ἐκβέβηκεν. οἱ δ' ὑποκριταὶ οὐ συμπεριφερόμενοι τῷ τρόπῳ, λέγουσι γινώσκειν καλῶς. quæ quidem, ut iam cœpi dicere, aliam quandā lectionem, quam equidem in Scholijs deſiderari puto, uidentur innuere. Itaq; ſi quis coniecturę locus eſt, exiſtimo legendum γιγνώσκω καλῶς, atq; id quaſi per parentheſin à Medea dici. Hoc ut credam facilius, facit, quòd eadem loquendi ratione Medeam eandē in ſequentibus uſam comperi, ubi ad Iaſonem ita loquitur,

ἐπεὶ τυράννοις γῆς μ' ἀποστέλλειν δοκεῖ,
κἀμοὶ τάδ' ἐστὶ λῷστα, γινώσκω καλῶς,
μήτ' ἐμποδὼν σοι, μήτε κοιράνοις χθονὸς ναίειν, &c.

Quin etiam extremis Heraclidis talia ſunt

Chori

Chori uerba,

δεινόντε καὶ συγγνωστὸν, ὦ γύναι, σ' ἔχειν
νεῖκος πρὸς ἄνδρα τόνδε, γινώσκω καλῶς.

Nec aliter explicandum credo, quod in Hippolyto inquit Phædra,

τὸ δ' ἔργον ᾔδειν, τὴν νόσον τε δυσκλεᾶ,
γυνήτε. πρὸς τοῖσδ' οὖσ', ἐγίγνωσκον καλῶς,
μίσημα πᾶσιν:

quanquam aliter Scholiaſtis uidetur. ſiquidem illi ſic explicant: Et quoniam mulier eram, probè cognitum habebam, quantopere facinus hoc omnibus inuiſum eſſet. nos aliter: Ego uerò cũ rem ipſam ſciebam eſſe turpiſsimam, tum uerò mulierem me eſſe meminerã: qui quidem ſexus, ut probè norã, omnibus eſt inuiſus. Huic porrò concinit illud Terentij,

Adepol næ nos ſumus æquè omnes inuiſæ uiris.

Horatij Sermones caſtigati.

Cap. 12.

QVanquã uir doctiſsimus, Dionyſius Lambinus, infinitis penè locis Horatium ex manu exaratis exẽplaribus quam plurimis nuper emẽdauit, eaq; de cauſa multum ipſi debent omnes literarum elegantiorum ſtudioſi: nonnulla tamen in hoc poeta ſatis leuiter uidetur attigiſſe, quę nos è tribus codicibus antiquiſsimis, quiq; magnã partem illius emendationũ ſuo confirmant

teſtimo-

teſtimonio, emendabimus. Ac nūc quidem Sermones aggrediemur, id eſt, Satyras & Epiſtolas.

Satyr. 2. *Hoc amat, & laudat: matronam nullam ego tango:*

Vetus liber unus elegantius habebat, Hoc amat, hoc laudat.

3 *Vſq; ad mala citaret, Io Bacche, modò ſumma*
Voce, modò hac reſonās, quæ chordis quattuor ima.

Veteres tres ſic, Modò hac, reſonat quæ chordis quattuor ima.

Simplicior ſi quis, qualem me ſæpe libenter, &c.

Iidem tres, Simplicior quis & eſt. id quod cum ſuperioribus aptius cohæret.

4 *——accipe, ſi uis, Accipe iam tabulas.——*

Vetus, Accipiam tabulas. quæ ſcriptura recta eſt: quin & Porphyrio ſic legit.

——hoc quidam non bellè: numquid ego illi
Imprudens olim faciam ſimile?——

Vetus diſiunctè habet, Num quid ego illi.

Multa poetarum ueniat manus, auxilio quæ
Sit mihi——

Vetus paulo concinnius, Auxilioq; ſit mihi.

5 *——ſcriba quòd eſſet,*
Deterius nihilo dominæ ius eſſe.

Veteres duo, Nihilo deterius dominæ. quam equidem ſcripturam eo facilius recipio, quòd eam quorundā audaciæ materiam citò præbuiſſe ſuſpicor. Simile præterea ad

Florum

Florum eſt illud,
Vehemens & liquidus, puroq; ſimillimus amni.
——meis contentus, onuſtos 6
Faſcibus & ſellis, nolim mihi ſumere.——
Iidem duo, nollẽ. quæ lectio cum priore magis conſentit. Contrà ſat.I. pro Nolunt, in ueteri codice Nolint legebatur.
——in ius Acres procurrunt.—— 7
Veteres tres, concurrunt. Similiter poſtea dicet, *Vndiq; concurſus.* 9
——hac urget lupus, hac canis angit. 2
Vetus ita, Hac canis, aiũt. quæ lectio prouerbij figuram propius exprimit.
Et fruſtra mortis cupidum, cum deerit egenti
Aes, laquei precium.——Vetus uterque As legit.
At, mihi cum longum poſt tempus uenerat hoſpes.
Antiqui codices tres rectius, At, mihi ſeu longum. ſequitur enim Siue.
——uter Aedilis fuerit, uel 3
Veſtrum Prætor, is inteſtabilis & ſacer eſto.
Iidem tres rurſum, fuerit'ue. quod certè magis Horatianum eſt.
Rex ſum, nil ultrà quæro plebeius, & æquam
Rem imperito.——
Heic ego, contra omnium exemplarium fidem, audacter cenſeo legendum, nil ultra quære. nec quicquam dubito, quin hanc uocem ita quidam, cum audaciores quàm do

ctiores

ctiores eſſent, corruperint. Sic etiã Deſine, quod in fine ſatyræ huius legitur, inepti quidam in Deſino mutarunt. Tum quod ad Florum legitur,

Luculli miles collecta uiatica multis
Aerumnis, laſſus dum noctu ſtertit, &c.

heic manuſcripti habẽt Nocte. Quid quod etiam in his Lucretij uerſibus lib. primi,

Is porrò, quamuis circum celerantibus auris
Confluat, haud poterit tamen uno tempore totum
Compleri ſpacium. auſim propemodum Comi plere legere.

4 *Hanc ego cum malis, ego fæcem primus, & alec,*
Primus & inueni piper album cum ſale nigro
Incretum, puris circumpoſuiſſe catillis:

Libri duo manu ſcripti, Primus & inuenior. id quod uidetur concinnius dici.

5 —*ſepulcrũ Cõmiſſum arbitrio, ſine ſordib. extrue:*

Antiqui tres Permiſſum habent: de quo iudicet lector.

6 ——*hora quota eſt? Thrax eſt Gallina Syro par?*

Manuſcriptus codex unus emendatius longè habebat, Thrax, an Gallina Syro par? Nam cum duo eſſent gladiatorum genera, quorũ alteri Thraces ſeu Threces ac Retiarij, alteri Galli ac Mirmillones dicebantur: quærere ſolebat ex Horatio Mæcenas, uter gladiatorum, Thrax'ne an Gallus (quẽ heic uidetur Horatius Gallinam uel ioci, uel car

minis

minis cauſa uocaſſe) Syro par eſſet. Mirmillones autem ſolitos dici Gallos, teſtis eſt Feſtus. Ceterùm quo loco Syrũ Horatius, eo dẽ ferè uidetur Gracchũ habere Iuuenalis, de quo ſic inter cetera,

Nec clypeo Gracchũ pugnantem, aut falce ſupinat.
ſiquidem ita hunc uerſum legẽdum docent antiqui codices. Hinc porrò deducũtur Archigalli & Archithreces: quæ nomina Tertullianus habet, niſi quòd pro Archithreces corruptè Frictricis legitur.

Quis nam igitur liber? ſapiens: ſibi qui imperioſus. 7
Liber antiquus, ſibiq; imperioſus. quomodo etiam doctũ quendã uirum olim ex ingenij coniectura locum hunc emendare memini.

An, qui fortunæ te reſponſare ſuperbæ Epiſt. Mæc.
Liberum, & erectum, præſens hortatur, & optat?
In duobus ueteribus ſcriptum erat, Et aptat. id quod paulo aptius uidetur.

——pol me miſerum patrone uocares, ad Mæc.
Si uelles, inquit, uerum mihi dicere nomen.
In ijſdẽ rurſus legebatur, ponere nomen.

Scilicet ut uentres lamna candente nepotum ad Val.
Diceret urendos correctus. Mænius idem, &c.
Tres libri manu ſcripti hoc modo habẽt, Diceret urendos correptus Beſtius, idẽ &c. in uno etiam annotatum erat, Beſtium dici unum ex diuitibus, qui dãno accepto com-

motus, nepotes uri uoluerit. Ac Beſtij quidem Perſius quoq; meminit poſtrema ſatyra, quem etiã hoc nomen ab Horat. ſumſiſſe conſentiunt illic interpretes. Corripiendi autem uocabulum etiam ad Auguſtum pro corrigendi uerbo uſurparunt libri duo, in hoc uerſu,

Aſperitatis & inuidiæ corrector, & iræ:

ueruntamen iudicet lector eruditus.

Ad Quintium. *Da mihi fallere, da iuſtum ſanctumq; uideri.*

Melius uetus uterque codex, Da iuſto ſanctoq; uideri. ſic & illud ſuperius, *Munifico eſſe licet*, ab alijs iam eſt reſtitutũ, & noſtris confirmatur exemplaribus.

Qui metuens uiuit, liber mihi non erit unquam.

Antiqui tres, Viuet.

Ad Loll. *Sit bona librorum, & prouiſæ frugis in annum*
Copia, neu fluitem dubiæ ſpe pendulus horæ.

Liber manuſcriptus, Ne fluitẽ. atq; ita prorſus legendum puto. nec diſſentit interpres uterq;.

Ad Mæc. 3. *Non ego nobilium ſcriptorum auditor, & ultor.*

Idem rurſum, & actor. quod eo magis perpendendũ cenſeo, quòd lectio uulgata planè uidetur corrupta.

Epiſt. ult. lib. 2. *Quid uici proſunt? aut horrea? quid ue Calabris*
Saltibus adiecti Lucani: ſi metit Orcus, &c.

In priore carmine uocem *uici* ſuſpectam habeo, nec ſcio an Vites auſim ſubſtituere.

Porphy-

Porphyrio quidem uineas exponit, & ſolet Horatius hæc ferè cũ illis coniungere. Itaq; conſideret hunc locum lector attentus.

——quid autem

Cæcilio Plautoq; dabit Romanus, ademtũ Virgilio. Ad Piſ.

In uno antiquo legebatur; Dedit. de qua ſcriptura iudicet lector.

Hic dum ſublimes uerſus ructatur, & errat.

In duobus; Dum ſublimis. de quo itidem lector iudicet.

Apollodori locus reſtitutus, & uerſio correcta. Cap. 13.

APollodori Athenienſis Bibliothecæ libros ut multum ſtudioſis utiles, ita multum ac ſæpe corruptos in lucem prodijſſe, unicus nunc abundè teſtabitur locus: quem unius literæ mutatio tam perplexum reddidit, ut etiam Interpres, homo nec indoctus nec imperitus, in eo turpiter ſit lapſus. Secundo libro; poſtquàm dixit Herculem ex oraculo in Lydiam uenditum, reginæ ſeruijſſe, hæc addit: καθ' ὃν δὲ χρόνον ἐλάτρευε παρ' ὀμφάλῃ, λέγεται τὸν ἐπὶ κόλχους πλοῦν γενέσθαι, καὶ τὴν τοῦ καλυδωνίου κάπρου θήραν, καὶ θησέα παραγινόμενον ἐκ τροιζῆνος εἰς τὸν ἰσθμὸν καθᾶραι. Quæ uerba B. Aegius ita primùm uerterat: *At quo tempore apud Omphalen ſeruiret, aiunt eum in Colchos nauigaſſe, & Calydonij apri uenationem confeciſſe: ac Theſeum, qui Trœzene Iſthmum ad-*

uenerat, expiaſſe. Pòſt, admonitus ab aliquo fortaſſe, hæc ita correxit: *Aiunt tum in Colchos nauigationem, & Calydonij apri uenationem confectam fuiſſe: ac Theſeum, qui Trœzene Iſthmũ aduenerat, eum expiaſſe*. Verùm utraque uerſio, quod uno uerbo dixerim, falſa eſt. Nam ſiue Theſeus dicatur ab Hercule fuiſſe expiatus, quærã cauſam: ſiue Hercules à Theſeo, quomodo potuit is qui in Lydia aberat, in Iſthmo expiari? Quinimò iampridem expiatus erat Hercules à Deiphobo, Hippolyti F. ut paulo antè expoſuit Apollodorus. Quapropter eſt emendanda uox καθῆραι, & reponẽdum καταῖραι, mutata in tenuem aſpirata. Itaque uertemus Apollodori uerba tanquam tertia manu, hoc modo: Cum autem Hercules Omphalæ ſeruiret, ferunt expeditionem Colchicam, & Calydonij apri uenationem eſſe inſtitutam: Theſeumque, cum Trœzene ſoluiſſet, ad Iſthmum appuliſſe.

Duo in Cicerone reſtituta uocabula.

Cap. 14.

Libro de Diuinatione priori, poſtquam duo conſtituit diuinationis genera, quorum alterũ particeps eſſet artis, alterum ea careret, poſterioris hæc ponit exempla: *Vt Bacchis Bœotius, ut Epimenides Cres, ut Sibylla Erythræa*. ſic enim legitur in omnibus, quotquot uidere contigit, exemplaribus: quanquam

quam non rectè. Nam pro Bacchis legendũ eſt Bacis: id quod, præter alios, Ariſtophanes docere poterit, quandoquidem Bacidis uatis non rarò meminit. Ac tradunt Scholiaſtæ, tres fuiſſe Bacides; antiquiſsimum quidem Bœotum, alterũ Atticum, tertium Arcadem. Addunt inſuper, eundẽ aliquando Laconicas mulieres, quæ furore correptæ fuerant, Apollinis iuſſu expiaſſe. Quin etiam qui citatur à Plutarcho περὶ ἀδολεσχίας ex poeta quodam uerſus,

βακχὶς θεόν σ' ἐνόμισεν ἐδ' αἶμον λύχνε:

eadem ratione corrigendus uidetur. Ceterùm ut ad Cic. redeam, lib. de Natura deorũ primo, poſtquam recitauit Q. Catuli in Roſciũ epigrãma, cuius poſtremũ carmen erat,

Mortalis uiſus pulcrior eſſe deo,

ſubijcit: *Huic pulcrior deo? at erat, ſicut hodie eſt, peruerſiſsimis oculis.* Heic Manutius, doctiſsimus Ciceronis & interpres & caſtigator, concinniorem putat fore ſententiam, ſi legatur, Hui, pulcrior deo? Ego uerò concinniorem etiam arbitror uiſum iri, ſi ſic potius legamus, Hic pulcrior deo? quod equidem pace Manutij dictum uelim.

Theocriti locus illuſtratus, & alter caſtigatus. Cap. 15.

ELeganter apud Theocritum ὁδοιπόροις, Lacon paſtorem alterum, nimis garru

lum, increpat his uerbis:

εἶα λέγ᾽· εἴτι λέγεις, καὶ τ̀ ξένον ἐς πόλιν αὖθις
ζῶντ᾽ ἄφες. ὦ ταγαὶ, ἦ στωμύλος ἦθα κομᾶτα.

quaſi dicat, non eſſe quòd gregis utriuſq; dominos, aut ſuos mores pluribus prædicet, atq; ita Morſonem, arbitrum uocatum, garrulitate ſua propemodum enecet. quin potius ad rē ipſam, omiſsis ambagibus, ueniat, cantumq; incipiat, & hoſpitem ſaluum remittat. Quod autem dixit, *ζῶντ᾽ ἄφες*, id pari ferè uenuſtate Plautus expreſsit in Milite: ubi cū ſimiliter ſe Pyrgopolinices magnificentius de ſeſe, ſuisq; liberis apud Milphidippam iactaret, pulcrè interim ſubſeruiente ipſi Palæſtrione, Gnathone altero: illa tandem loquacitatis tantæ tædio affecta, dimitti ſe poſtulat, & ait,

Iam iam ſat amabo eſt: ſinite abeam, ſi poſſum, uiua à uobis.

Quocirca non incommodè prouerbij loco ſermo hic inter uerboſos homines uſurpabitur, ut iubeamus eos *ζῶντας ἡμᾶς ἀφεῖναι*, uiuos nos ac ſaluos dimittere. Idē deinde Theocritus Europa, tauro uectæ uirginis geſtū eleganter his uerſibus deſcribit,

ἡ δ᾽ ἄρ᾽ ἐφεζομένη ζωοῖς βοέοις ἐπὶ νώτοις,
τῇ μὲν ἔχεν ταύρου δολιχὸν κέρας, ἐν χερὶ δ᾽ ἄλλῃ
εἴρυε πορφυρέας κόλπου πτύχας, ὄφρα κε νηῶν
ἐνδεύοι ἑλκόμενον πολιῆς ἁλὸς ἄσπετον ὕδωρ.

Quorum

Quorum quidem uerborum ut prior pars facillima eſt, ita poſterior lõgè difficillima. Atq; ut aliorum abſurdas & ineptas omittam interpretationes, adferam breuiter doctiſſ. Aurati emendationem huius loci, quę non minus cõmoda, quàm neceſſaria, credo, uidebitur:

εἴρυε πορφυρέας κόλπου πτύχας, ὄφρα κεν ὤην
δεύοι ἐφελκομένην πολιῆς ἁλὸς ἄσπετον ὕδωρ.

Hæc igitur totius eſt loci ſententia. Europa cum tauro inſideret, altera quidẽ manu eius cornua, ne decideret, apprehendebat: altera uerò ſuſtollebat ueſtes ex aqua, idq; quouſq; marina aſſurgebat unda, ſic ut ea ſemper oram ueſtis (id enim ualet heic ὤη) allueret: itaq; fieret, ut nec ueſtis humectaretur, & uirgo interim pudori conſuleret ſuo.

Tibulli carmina duo emendata.

Cap. 16.

NEſcio profectò, quibus imputare debeam, quod apud Tibullum mendoſè legitur, cum de Vlyſſe ait,

Illum tergeminæ nantem confinia mortis,
Nec Scyllæ ſæuo conterruit impetus orbe,
Nec uiolenta ſuo conſumſit more Charybdis.

Nam primus uerſus ita ſine dubio legẽdus eſt,

Illum inter geminæ nantem confinia mortis.

Sed hoc puſillum, maius autẽ eſt in poſtre-

ma elegia uicium: in qua poſtquam iurauit mulieri fidelem ſe fore, adijcit:

Quid facio demens? heu cui mea pignora credo?
Iuraui ſtultè: prodeat iſte timor.

quod poſtremum rectius, arbitror, ſic legetur, Proderat iſte timor. Cur, inquit, omnẽ illi de me leuitatis & incontinentiæ ſuſpicionem ademi, cum potuerit hoc timore facilius in officio contineri? alioqui metueret, ne ſi quando fidem tori ipſa fregiſſet, idem rurſus à me factum cognoſceret. At nunc, poſt quã uidebit me iureiurãdo obſtrictũ teneri, & minus erit de me ſolicita, & peccabit citius. Sed reſpõdebit fortaſſe Tibullo aliquis: Nõ te olim hæc meminiſti canere, Tibulle?

——periuria ridet amantum
Iuppiter, & uentos irrita ferre iubet.

Eleganter etiam in Philebo dicit Plato, ἐν ταῖς ἡδοναῖς ταῖς περὶ τὰ ἀφροδίσια καὶ τὸ ἐπιορκεῖν συγγνώμην εἴληφε παρὰ θεῶν, ὡς καθάπερ παίδων τῶν ἡδονῶν νοῦν οὐδὲ τὸν ὀλίγιστον κεκτημένων. quæ Latinè ſic ſonant: In uoluptatibus Venereis etiam periurium à dijs ueniam conſequitur, quaſi puerorum inſtar uoluptates nequaquam ſint mentis compotes.

Athenæi locus reſtitutus, & uerſio cuiuſdam correcta. Cap. 17.

DE Hyperide oratore narrat Athenæus, cũ cũ Phrynẽ in iudiciũ capitis adductam

ductam defenderet, & uiderentur eam iudices eſſe condemnaturi: tum uerò in medium illam produxiſſe, tunicisq́; diruptis eius pectus denudaſſe, atq; ita ipſam de more cõcluſionis coràm deploraſſe, ut iudices partim religione deterriti, partim miſericordia moti, Veneris miniſtram ac ſacerdotem illam abſoluerint. Verùm hæc nõ ita planè, ut nos uertimus, in eo autore leguntur, niſi corruptè. ſiquidem poſtrema ſic habent, δεισιδαιμονῆσαί τε ἐποίησεν τοὺς δικαστὰς, τὴν ὑποφῆτιν καὶ ζάκαρον ἀφροδίτης ἐλαίῳ χρισάμενος μὴ ἀποκτεῖναι. In quibus, præterquam quod καὶ uidetur deſiderari, ζάκαρον primum in ζάκορον mutandum eſt: deinde pro ἐλαίῳ χρισάμενος, legendum ἐλέῳ χρησαμένους. Id quod equidem nequaquam admonendum duxiſſem, niſi doctiſsimũ quendam hac ætate uirum deprehendiſſem, cum huius hiſtoriæ interpretationẽ in commentarios quoſdam retuliſſet, corruptam lectionem ſecutum, nullum in ea mendũ agnouiſſe. Quis enim unquã uel quòd ſacerdos, uel quòd reus eſſet, oleo perfuſus legitur? Quinimo nec Plutarchus in uitis Oratorũ, cum eandem narraret hiſtoriam, olei mẽtionem ullam fecit: facturus utiq;, ut eſt rerum nouarum & mirabilium ſtudioſus, ſi quid unquã tale contigiſſet. Atq; adeò, ut lectoris parcam labori,

uerba nunc adijciã: μελλούσης δὲ αὐτῆς ἁλίσκεσθαι, παραγαγὼν εἰς μέσον, καὶ περιῤῥήξας τὴν ἐσθῆτα, ἐπέδειξε τὰ στέρνα τῆς γυναικός. καὶ τῶν δικαστῶν εἰς τὸ κάλλος ἀπιδόντων, ἀφείθη.

Camerarij emendatio quædam confirmata, alia reiecta. Plautus & Ariſtophanes emendati. Cap. 18.

HAnno Pœnus apud Plautũ filias ſuas agniturus, miratur eas breui tempore tantum creuiſſe, ac tantas è tantillis iam eſſe factas. Reſpondet deinde Agaraſtocles,

——ſcin' quid eſt?

. . . . . ſunt columnæ, ſuſtolli ſolent,

cuius carminis principium cum audaciſſimè quidam confinxiſſent, doctiſſ. Camerarius de lituris ueteris libri ſic legendum cenſet, Hetruſcę ſunt. Hæc eius coniectura mirum in modum ſemper mihi placuit, ac tum maximè, poſtquam ſimilē in Plauto locum, ex quo iſte commodè poſſet explicari, reperi in Curculione, cũ Phædromus ianuę peſſulos his uerbis ſalutat:

Scen. 12. *Peſſuli, heus peſſuli, uos ſaluto lubens,*
Vos amo, uos uolo, uos peto atq; obſecro,
Gerite amanti mihi morem ameniſſimi.
Fite cauſſa mea Lydi barbari,
Suſſilite obſecro, & mittite iſtanc foras,
Quæ mihi miſero amanti ebibit ſanguinem.

Nam quod heic Suſsilire, in Pœnulo eſt Suſtolli:

ſtolli:qui heic Lydi,illic Hetruſci,iidem tamen.Lydi enim Hetruriam incoluerunt:ut alibi docuimus.qua de cauſa uidentur etiam barbari dici,ut à Virgilio Phryges:uel potius, quia ſolet Plautus, ſcenæ ſuæ cauſa,Italica & Latina pleraque barbara uocare. Itaque ſic in Aſinaria prologus,

Huic nomen Græcè eſt onagos (ſic enim legendum cum Turnebo)*fabulæ,*
Demophilus ſcripſit,Marcus uortit barbarè.
Aſinariam uolt eſſe,ſi per uos licet. Iam in Milite ait,
Nam os columnatum poetæ ineſſe audiui barbaro:
cũ de Næuio loqueretur.& in Feneratrice,
Heus tu in barbaria quod dixiſſe dicitur
Liberta ſuæ patronæ,ideo dico (fortè,id ego dico tibi)
Liberta ſalue,uapula Papiria.

In barbaria eſt, addit Feſtus,in Italia.Quẽ admodum porrò uidetur hiſce loquendi modis Latinam linguam contemtui Plautus habere:ita cõtrà Virgilius ſummis eam laudibus afficere conatus eſt,cum dixit, *in Vapil.*

——cui nomen Aſilo *in Georg.*
Romanum eſt,Oeſtron Graij uertere uocantes:

quaſi poſteriores Romanis Græcos fuiſſe innueret. Sed ut ad Camerarium redeam:ſicut hanc illius in Pœnulo cõiecturã obuijs ulnis amplector,ſic aliam quandam in Trinummo

nummo reijciendam puto. ſiquidem Philto peruerſos ſæculi ſui mores perſtringẽs, ait:

Sem. 4. *——lacrumas hæc mihi, cum uideo,*
Eliciunt, quia ego ad hoc genus hominum duraui,
quin prius
Me ad plures penetraui:——

Heic ille pro *plures*, legi uult Patres: & exponit maiores, qui terris exceſſerunt. Ego Græca potius eius uocis notatione uſum Poetam contenderẽ. Græcis enim ut κρείσσονες aliquãdo deos, ita πλείονες nõ raro mortuos ſignificant. Vnicum Ariſtidis ſufficiet exemplum. ille etenim in Apologia cõmuni, ut inſcribitur, poſtquam Quatuoruiros ſuos quaſi ab inferis reuocatos, cum Platone colloquẽtes fecit, adijcit poſtremò: ταῦτ' εἰπόντας ἂν αὐτοὺς οἶμαι ῥᾳδίως πάλιν προσδέχεσθαι παρὰ τοὺς πλείονας, εἰ δὴ κἀκείνους μετὰ τῶν πλειόνων χρὴ κεῖσθαι δοκεῖν, ὥσπερ ἔγωγε οὐκ οἶμαι. quæ nos ita uertimus: Hæc eos arbitror cum dixiſſent, æquo eſſe animo ad inferos redituros, ſi quidem & illi ſunt apud inferos, quod equidem non puto, collocandi. Verùm heic me continere nequeo, quin & alterum ex Ariſtophane adijciam exemplũ, præſertim cum iampridem corruptum ſit. Nam in ἐκκλησιαζούσαις hi legũtur ſub finem uerſus:

πότερον πίθηκος ἀναπλέως ψιμυθίου,
ἢ γραῦς ἀνεστηκυῖα παρὰ τῶν νεκρῶν.

huic

huic poſtremo uerbo adiecta annotatio, νεκρῶν exponit πλζόνων. Ridicula ſanè expoſitio, uelut ſi Latinè quis Nilum exponeret Melonem, aut accenſum interpretaretur optionem. Itaq; facta commutatione, legendū in carmine πλζόνων: ut ſit integer uerſus, in gloſſa νεκρῶν.

Euripidis Chori duo emaculati.

Cap.19.

PEr diſiunctionem uocum uel literarū coniungendarum, bonos autores ſæpe corrūpi, alibi oſtenderunt alij: nos idē duobus Euripidis choris planū nunc faciemus. Ac primùm quidem chorus Phœniſſarum, intellecta de Nuncij uerbis monomachia fratrum Thebanorum, Eteoclis & Polynicis, Oedipi fortunam ſe magnopere deplorare ait: & cum iam rerum euentum animaduertere, qui ipſius imprecationibus plenè uideatur ſatisfacere. Sed hæc Grȩcè ſatis perturbatè leguntur, hoc modo:

χο. ἢ φεῦ φεῦ. κακῶν σῶν οἰδίπȣ, σὸς ὢν, ςένω.
κρε. τὰς σὰς δ' ἀρὰς ἔοικεν ἐκπλήσειν θεός.

Quibus in uerſibus primùm uox ἢ tollenda eſt: quæ unde irrepſerit, mox dicam. Deinde pro σὸς ὢν, legendum ὅσον, ſicut rectè Scholiaſtes habet. eius enim hȩc eſt explicatio, ἕνεκα τ̃ σῶν κακῶν οἰδίπȣ ὅσον ἐ μέγα ςενάζω. Videtur autem hoc erratum inde primùm ortum, quòd

quòd aſperum ſpiritũ in ὅσον, imperiti quidam ſcribæ in σ mutarint. Vnde etiam factũ deinde eſt, ut, qui σὺς ὢν hoc loco legerunt, cum putarent iſtud prouocabulum mulieribus non conuenire, Choro ſublato, Creontis perſonam repoſuerint. Hinc enim eſt illa uaria lectio, χο. ἢ κρέ. quam etiam Scholiaſtes agnoſcit. Acceſsit poſtea maior quoq; aliorum imperitia, qui uariæ lectionis indicem particulam in contextum receperunt. Ceterùm ut ὅσον eſt reponendum, ita & choro ſua ſunt relinquenda. Iam alius in Alceſtide chorus de ui neceſsitatis loquens, ait, καὶ τ̀ ἐν χαλύβοισι δαμάζεις ὐ βίᾳ σίδαρον. quæ cum ſint etiam corrupta, eodem ferè modo reſtituo, δαμάζεις σὺ βίᾳ σίδαρον. hoc enim ſenſus poſtulat.

Horatij difficile carmen illuſtratum.
Cap. 20.

ODa 28. ait Horatius,

Miſta ſenum ac iuuenum denſentur funera: nullum
Sæua caput Proſerpina fugit.

In quæ quidem uerba tantum ſufficit interpretibus omnibus, tam ueteribus quàm recentioribus, dicere, Proſerpinam mortis eſſe ac uitæ arbitram: adeoq; nullum eſſe caput, ſeu hominem, qui Proſerpinæ queat imperium ſubterfugere. Verùm heic aliud profectò latet myſteriũ, & ἕρμαιον, ὡς εἰπεῖν ἔπος,

ἡμαλὸ

τιμαλφέςατον. Exiſtimabant enim antiqui, eos qui morti eſſent proximi, à Proſerpina primùm tonderi, & his quaſi primitijs Orco initiari: nec aliter diem ſuum obire poſſe. Id autem ex Euripide licet, & Virgilio, apertè cognoſcere. Virgilius quidem Didonis difficulter morientis cauſam hanc adfert,

Nondum illi flauum Proſerpina uertice crinem
Abſtulerat, Stygioq; caput damnauerat Orco.

Id quod exponens Seruius ait, ſolere homines certis conſecrationibus aduerſus fortunæ impetus ſeſe munire: nec aliter mori, niſi conſecrationibus illis exautoratos. Addit Poeta,

Ergo Iris croceis per cælum roſcida pennis
Deuolat, & ſupra caput aſtitit: hunc ego Diti
Sacrum iuſſa fero, teq; iſto corpore ſoluo.
Sic ait, & dextra crinem ſecat: omnis & unà
Dilapſus calor.——

Nam quod heic Iris fingitur Proſerpinæ officio fungi, parum me mouet, ſiue quid illa per ſe, ſiue alterius effecerit opera. Nec ineptè hoc loco Seruius Iunonem dicit infernam intelligi. Ac ſimiliter ait Statius initio ſecundi Siluarũ de Glaucia iamiã perituro;

Iam complexa manu crinem tenet infera Iuno.

Nunc ad Euripidẽ ueniamus, apud quem Mors introducitur Alceſtidis comã ſecans:

Malè

Malè etenim Seruius id Mercurio tribuit: nec multo melius Euripidis editiones Charontem habent: cum Θάνατος ubiq; reponendum ſit, ut uel è uerbis Apollinis eſt animaduertere,

ἤδη δὲ τόνδε Θάνατον εἰσορῶ πέλας.

Hæc igitur Mors illic ita loquitur,

ἡ δ᾽ οὖν γυνὴ κάτεισιν εἰς ᾅδου δόμους.
στείχω δ᾽ ἐπ᾽ αὐτήν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει.
ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,
ὅτου τόδ᾽ ἔγχος κρατὸς ἁγνίσει τρίχα.

Scholiaſtes addit, ὡς ἔθους ὄντος τὸν Θάνατον τοῦ μέλλοντος ἀποθνήσκειν τὴν κόμην τέμνειν. His ita explicatis, facilius intelligetur Horatij conſilium, quo Proſerpinam dixerit nullius unquam caput fugiſſe, quo minus illud more ſuo tonderet, aut ſaltem tondendum curaret. Iam quod ad ipſum tondendi morem pertinet, eius rei iuſtam cauſam nondũ comminiſci potui: niſi forte per crines antiqui uires cuiuſq; ac robur conſtare crediderint, ita ut ijs ablatis, in alterius iam poteſtatem facile quis ueniret: quemadmodum de Simſone narrant ſacræ literæ, de Niſo ac Pterelao poetæ. Nec abhorrent hinc quotidiana ueneficarum exempla, quas nullis aiunt tormentis, donec deſectus fuerit capillus, domari. Victimarum quoq; ſetæ capitis in ſacrificijs olim ferro ſolebant abſcindi. Quod

ſi quis

ſi quis melius aliquid habet, candidius impertiat. Nam qui Achillem comam ſibi ſecantem ipſum huc referunt, λόγον εἰπεῖν βούλοντα, ut Græci aiunt.

Heſiodi uerſus loco ſuo repoſitus, & caſtigatus. Cap. 21.

IN Heſiodi Theogonia, cũ traditur Gorgonum origo, earumq́ unius cum Neptuno concubitus,

ἐν μαλακῷ λειμῶνι καὶ ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν:

ſubiungitur hoc carmen,

μιχθεὶς καλλιρόῃ κούρῃ κλυτοῦ ὠκεανοῖο.

quod hoc quidẽ loco locũ habere nõ poteſt, quanquam id interpretes fugiſſe uidetur. Gorgones enim cũ tres tradantur, Stheno, Euryale, & Meduſa: in his non recenſetur Callirhoe. Quocirca carmẽ hoc nono poſt loco collocandũ cenſeo, poſt hunc uerſum,

χρυσάορ δ' ἔτεκε τρικάρηνον γηρυονῆα.

id enim cum hiſtoria conſentit: quam ſi quis ignorat, ex eiuſdem libri fine repetat, qui uerſus hos habet,

κούρη δ' ὠκεανοῖο χρυσάορι καρτεροθύμῳ
μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι, πολυχρύσου ἀφροδίτης,
καλλιρόη, τέκε παῖδα βροτῶν κάρτιστον ἁπάντων
γηρυονῆα.

Vnde facillimum eſt, quod uolumus, probare. Ac ne quis miretur, me in carmine χρυσάορ, &c. τρικάρηνον legere, cum uulgò τρικέφαλον

φαλον ſcribatur: ſciat me ita uerſum hunc à doctiſsimo Budæo emendatum, in eius codice olim reperiſſe. Facilè uidelicet animaduertit uir tantus, gloſſam heic, ut alibi ſæpe, contextus locū occupaſſe. Quinimò Theogoniæ eiuſdem initio θείην pro θεσπεσίην cadem ratione perperam eſt poſitū. Iam quod carminum ſeries in poetis aliquando perturbatur, nemini mirū uideri debet: cum idem & in Lycophrone contigiſſe duobus in locis, & in Euripide ſemel, alibi à nobis partim annotatum, partim ſit annotandum.

Ambiguus Catulli locus excuſſus.

Cap.22.

QVoniam non minoris aliquando difficultatis eſt, corrupta præclarorum autorum loca agnoſcere, quàm àgnita corrigere: & is propemodum ad rei notitiam perueniſſe dicitur, qui de ea iam dubitare, & in utramq; partem diſputare nouit: proferam igitur Catulli locum quendam, ſi non corruptum, difficilem ſaltem, & ab ijs qui hoc tempore huius poetę explicationē ſibi ſumſerant, quaſi fuiſſet omnium facillimus, neglectū. Extat aūt in carmine de nuptijs Pelei ac Thetidis: in quo Poeta cum querelas & preces Ariadnæ à Theſeo derelictæ expreſsiſſet, narrat deinde, quænam filio mandata in Cretā ſoluenti dederit Aegeus, eum

ſic lo-

ſic loquentem inducit:

Quod tibi ſi ſanctæ conceſſerit incola Itonis,
Quæ noſtrum genus ac ſedes defendere ſueta
Annuat, ut tauri reſpergas ſanguine dextram:
Tum uerò, &c.
Funeſtam antemnæ deponant undiq; ueſtem.

Hæc enim uerba ſiue ſic ordines, Quod quidem ſi tibi Itonis incola, ſeu Pallas conceſſerit, quæ genus noſtrum ſedesq; ſolita defendere, annuat, ut occidas taurum: multa oportebit in ſuperiorib. deeſſe, quò prouocabulum Quod referatur. ſiquidem ad ea quæ in editionibus præponũtur, nullo modo pertinet. Sin autẽ nihil putes deeſſe, atq; ita exponas, Quod ſi Pallas tibi conceſſerit, quæ ſolita nos defendere annuat, ut taurum occidas: quæ hęc erit loquẽdi ratio? aut quã reperiemus uſquam ſimilem? Nõ exiſtimo etiam defuturos, qui totum hoc,

Quæ noſtrũ genus ac ſedes defendere ſueta Annuat, in parentheſin recepturi ſint, quaſi dixerit Catullus: Si Pallas tibi conceſſerit (quod illa, uel quæ annuat) ut interficias taurũ. Sed & hoc loquẽdi genus moleſtum auribus accidit. Quin etiam erunt fortaſſe, qui locum totum paulùm immutatũ ſic malint legere,

Quod tibi ſi ſanctæ cõceſſerit incola Itonis,
Quæ noſtrũ genus ac ſedes defendere ſueta,
Annuat &, tauri reſpergas ſanguine dextrã:

 Verùm

Verùm mihi tam audaci eſſe non libet. Quocirca, ſi nihil ſuppetit aliud, parentheſin quidẽ aliquo modo recipi poſſe uideo.

Callimachi uerſus duo reſtituti.

Cap.23.

APud Callimachum Diana, poſtquam à Ioue patre, quicquid uoluerat, impetraſſet: nymphas primùm 60 ad chorum deligit. deinde ad Cyclopes pergit, à quibus pharetram cum ſagittis poſtulet. Quo in lo lo mutilus eſt uerſus quidam, cui ex manuſcripto codice remedium decreuimus adhibere. Nam cum uulgò ſic legatur,

νησῳ ἐνὶ λιπάρῃ νέον. ἀλλὰ τότ᾽ ἔσκεν
οὔνομα οἱ μελιγοῦνις. ἐπ᾽ ἄκμοσιν ἡφαίστοιο
ἑσταότας περὶ μύδρον——ita corrigendus eſt prior,

νήσῳ ἐνὶ λιπάρῃ, λιπάρῃ νέον.

Quæ enim Callimachi tempore dicebatur Lipare, ea ſub Cyclopibus aliud habebat nomen: quemadmodum tradit etiam Plinius. Atque ut hoc erratum magnum eſt, ita leuius eſt multo, quod propè præcedit in uerſu,

οὕνεκα λητωΐδι θυγατέρας πέμπεν ἀμορβούς.

Secunda enim uox tertio, ac uiciſsim ſecundo loco tertia perperam eſt poſita, uicio nimis in poetis omnibus uulgari. Ceterùm ut ad priorem locum redeã, ſimiliter ferè Homeri

meri uerſus in Apollinis hymno redintegrabitur,

πυκνὰ μάλ᾽ ἔνθα καὶ ἔνθα ἐλίσσετο, λεῖπε δ᾽ ϑυμόν.

nam poſterius ἔνθα deeſt in editis libris.

Terentij quædam tranſpoſita.
Cap. 24.

IN Adelphis Cteſipho de honeſta abſentiæ occaſione excogitanda cũ ſeruo conſultans, poſtquam nihil occurrit, Syrum audit ſubijcientem:

Cliens, amicus, hoſpes nemo eſt uobis? C. ſunt. quid poſtea?
S. Hiſce opera ut data ſit. C. quæ non data ſit? non poteſt fieri. S. poteſt.
C. Interdiu. ſed ſi heic pernocto, cauſæ quid dicam Syre?
S. Vah, quàm uellem etiam noctu amicis operam mos eſſet dari.
Quin tu ocioſus es: ego illius ſenſum pulcrè calleo.

Verùm hæc poſtrema multo concinnius in membranis erant diſpoſita, quantum ad perſonas attinet:

C. Interdiu. ſed ſi heic pernocto, cauſæ quid dicam Syre?
Vah, quàm uellem etiam noctu amicis operam mos eſſet dari.
S. Quin tu ocioſus es.——

Nam & illa, *Vah quàm uellem*, magis adoleſcentem decent, quàm Syrum: & Quin orationem

tionem commodius heic incipit, quàm con tinuat. Nec aliter ad eundem loquitur idem ſcena proxima,

Quin tu animo bono es,

Similiter porrò (quod nunc in mentem uenit) hæc uerba ex Heautont.

Minimè mirum: adeò impeditæ ſunt: ancillarum gregem ducunt ſecum:

quæ ubique Clitiphoni tribuuntur, Syro ſunt iiſdem autoribus reſtituenda. nec ſecus poſtulare ſenſum, acutum lectorem non fallet. In Phormione quoque hæc,

Perge eloqui. Cedo quid poſtulat? Dic. Imò malum hercle:

quæ Chremes occupauit, Demiphoni tribuantur. Iam ut ad Adelphos redeam, cum pòſt Aeſchinus ex patre uxorem ſe, quam uolebat, ducturum intellexiſſet, necdum tamen illud de Mileſio commentũ poſſet ex animo deponere: quærit ex Mitione, quid de Mileſio ſit actum. Reſpondet pater,

Abijt, perijt, nauem aſcendit. ——

Scriptus codex horum uerborum ordinem inuertit, hoc modo: Nauem aſcendit, abijt, perijt. quod quanto ſit uenuſtius, pluribus equidem, niſi nollem λεπτολογεῖν, declararẽ.

Plutarchi loca duo reſtituta.

Cap. 25.

PLutarchus in fragmento, quo docet uirtutem

tutem doctrina comparari poſſe, ait, eos qui mechanicis artibus diſciplinam relinquentes, à uirtute eam auferant, contrà facere, atq; Scythas: cum illi ſeruis oculos effodiant, teſte Herodoto, hi ſeruilibus artibus ratione tanquam oculo impoſita, uirtutem cæcam faciant. Cur autem id factitent Scythæ, cauſam addit Plutarchus hanc, *ὅπως παραδῶσιν αὐτοῖς*. quæ uerba ſine dubio corrupta ſunt. Ac Herodotus quidẽ, cuius ille ſententiam ſecutus uidetur, initio Melpomenes hęc tradit: *ἐπεὰν δὲ ἀμέλξωσι τὸ γάλα, ἐσχέαντες ἐς ξύλινα ἀγγήϊα κοῖλα, καὶ περιστήξαντες κατὰ τὰ ἀγγήϊα τοὺς τυφλοὺς, δονέουσι τὸ γάλα. καὶ τὸ μὲν αὐτοῦ ἐπιστάμενον ἀπαρύσαντες, ἡγέονται εἶναι τιμιώτερον, τὸ δὲ ὑπιστάμενον, ἧσσον τοῦ ἑτέρου. τούτων μὲν εἵνεκα ἅπαντα, τὸν ἂν λάβωσιν οἱ σκύθαι, ἐκτυφλοῦσι.* Quibus ſi Plutarchi uerba reſpondere debent, ita legenda cenſuerim, *ὅπως τὸ γάλα δονῶσιν αὐτοῖς*. Sin eum propriam malimus ſecutum eſſe ſententiã, poterit alicui *ὅπως παραμένωσιν* legendum uideri. Hac enim de cauſa hodieq; à barbaris Chriſtiani ſæpe excæcãtur, ne uidelicet fugæ rationem aliquam cõminiſci poſsint. Iam quod idem Plutarchus altero Sympoſiaco Timageni ſcomma tribuit: id ad Teleſphorum, Lyſimachi regis præfectum, refert Atheneus lib. 14. quaſi de Arſinoe regina dictum fuerit. Ac Plutarchi

quidem ſunt hæc, οἷον τὸ Τιμαγένους πρὸς τὸν ἄνδρα τῆς γαμελικῆς.

κακῶν γὰρ ἄρχεις, τὴν δὲ μοῦσαν εἰσάγων.

Athenæi autem iſta, ἔσκωψε ποτὲ ἐν συμποσίῳ τὴν ἀρσινόην ὡς ἐμελικὴν οὖσαν, εἰπών,

κακῶν κατάρχεις, τὴν δ' ἐμοῦσαν εἰσάγων.

Vtut ſit, Plutarchus heic ex Athenæo certè corrigendus eſt. Itaq; pro γαμελικῆς primùm ſcribo ἐμελικῆς. Deinde uerſum ipſum ſecundum Athenæum legendum crediderim: niſi quis illud, τὴν δὲ μοῦσαν, ex Plutarcho retinere malit, ut ambiguitatis quædam gratia uideatur à ſubſannatore inter pronũciandum affectata: atq; ita Plutarchus ipſa uerba, ſenſum Athenæus expreſſerit. Et quoniam carmen hoc ex poeta quodam ſumtum apparet, utrumq; exiſtimo, tam Timagenẽ quàm Teleſphorum, hoc ſcommate, quanquam apud diuerſos, uſum eſſe.

Obſcurum Propertij uocabulum declaratum. Cap. 26.

ELegia ſecunda lib. tertij uenuſtiſsimus Propertius ita canit,

Heic erat affixis uiridis ſpelunca lapillis,
Pendebantq; cauis tympana pumicibus.
Ergo Muſarum, & Sileni patris imago
Fictilis, & calami Pan Tegeæ tui.

In quę poſtrema doctiſsimus ſimul & elegantiſsimus Muretus ita ſcripſit: *Vox* ergo

quà

quò pertineat, non ſanè uideo, deq; illius integritate ſubdubito. nulla tamen diſcrepantia in ueteribus libris. Quæ uerba quem non ab inquirendo deterreant? Veruntamen cum Igitur, quod pro Ergo ponitur, nonnunquã etiam idem quod Inde uel Poſtea ualeat in antiquis autoribus, teſtibus grammaticis: quid uetabit, ne & Ergo pro Deinde poſitum hoc loco credamus? Nam ut uocem ipſam mutemus, omnino concedendum non puto: nec ui interim ſua carere debet. Ac de Igitur quidem exemplum in Amphitruone Plauti legitur tale,

Sin aliter ſient animati, neq; dent quæ petant:
Seſe igitur ſumma ui, uiriſq; eorum oppidum expugnaſcere. Iam in Caſina dicit Murrina,
Mox magis cum ocium erit, igitur tecum loquar.
& in Moſtell. Philolaches,
Miſerum eſt opus, igitur demum fodere puteum, ubi ſitis fauces tenet.

Quid quòd etiam Græcum εἶτα plerũq; Cicero per Ergo uertit. Iam Virgilius eodem, quo Propertius, modo locutus uidetur lib. 6.
Ergo iter inceptũ peragunt, fluuioq; propinquant.
Sed hoc ſilentio prætereundum non eſt, L. Carrionem, inſigniter doctum hominem, in libro quodam pro Ergo perſpicuè Illic legiſſe. Iudiciũ doctioribus eſto permiſſum.

Sapphonis carmen expoſitum, & alterum Philodemi correctum. Cap. 27.

DIfficile fortaſsis aliquibus uidebitur Sapphonis carmen, quod adfert Demetrius περὶ ἑρμηνείας, ubi de modis agit, quibus orationi gratia conciliatur. Itaq; gratioſę comparationis producit hoc è Poetria exemplum:

πέρροχος ὡς ὅτ' ἀοιδὸς ὁ λέσβιος ἀλλοδαποῖσι.

quo quidem in uerſu πέρροχος pro ὑπέρροχος ponitur. Nã prӕterquã quod ipſe dicit Demetrius, ἐπὶ τοῦ ἐξέχοντος ἀνδρὸς iſtud eſſe pronunciatum: Heſychius quoq; πέρρέχειν pro ὑπερέχειν poni docet. Quis autẽ ſit iſte Lesbius, ſi quidem certus eſt quiſpiam, ignotũ arbitror: niſi fortè Terpãder ſit, quẽ quidem etiam poſt mortem non exiguo à Spartanis inter cęteros honore affectum legimus. Atq; ut carmen hoc una uox obſcurat, ita elegans Philodemi epigramma uox una corrumpit, quam non pigebit emendare. ſic autem legitur:

ὦ ποδὸς, ὦ κνήμης, ὦ τῶν ἀπόλωλα δικαίως
μηρῶν, ὦ γλουτῶν, ὦ κτενὸς, ὦ λαγόνων.
ὦ ὤμων, ὦ μαστῶν, ὦ τοῦ ῥαδινοῖο τραχήλου,
ὦ χειρῶν, ὦ τῶν μαίνομαι ὀμματίων.
ὦ κακοτεχνοτάτου κινήματος, ὦ περιάλλων
γλωττισμῶν, ὦ τῶν κλάομαι φωναρίων, &c.

Heic pro φωναρίων ſcribo ὠταρίων, cui melius

lius cum uerſu conuenit. Quodſi quis etiã pro κλάσομαι malit κάομαι ſeu καίομαι, non ero qui admodum diſſentiam.

Græcum in Feſto Pompeio uerbum repoſitum, & Latinum alterum emendatum.

Cap. 28.

P*Randium*, inquit Feſtus, *ex Græco.... eſt dictum. nam meridianum cibum cenam uocabant.* Quod heic deſideratur uerbũ Græcũ, nondum potui reperire: niſi quòd ex Plutarcho, qui eandem uidetur ſequi ſententiam, certi quiddam licet colligere. Is enim octauo Sympoſiaco de Græcis aliquot Latinorum uocabulorum etymis diſſerens, hęc ait de prandio: τὸ δ' ἄριστον ἐκλήθη ἀπὸ τῆς ὥρας. εὔδιον γὰρ τὸ δειλινὸν, καὶ τὴν μετ' ἄριστον ἀνάπαυσιν εὐδιάζειν. ἢ πρωϊνὴν τινα σημαίνοντες ἐδωδὴν, ἢ τροφὴν ἣ χρῶνται, πρὶν εὐδεεῖς γενέσθαι. Quibus quidem uerbis duplicem uidetur afferre prandij etymologiã: quaſi illud, uel quòd περὶ τοῦ εὐδίου, uel quòd περὶ τῆς εὐδείας ſumatur, ita dictum ſit. Quocirca Feſtus etiã εὔδιον uidetur uſurpaſſe, quoniam heic prandium pro ientaculo ſumit, antiquo more, ſicut & olim Græci τὸ ἄριστον. Heluetij contrà ientaculi nomẽ hodie prandio tribuunt. Alibi porrò ſic ait: *Lingulaca genus piſcis, uel mulier auguratrix.* Poſtremum hoc emendaturi quidam, mutarunt in Garrulatrix. quod uerbum planè barbarum

eſt

eſt & inauditũ. Itaq; malim ſubſtituere Argutatrix. Vſus quidẽ uocis extat in Caſina.

Euripidis duo uerſus caſtigati: Sophoclis unus. Cap. 29.

EXtrema Rheſo Muſa ſeipſam conſolans ait,

βαιὸν δὲ πένθος τῆς θαλασσίας θεοῦ
οἴσω. θανεῖν γὰρ καὶ τὴν ἐκείνης χρεών.

Quanquam heic uox ἐκείνην uidebitur forſitaſſe nonnullis poetica licentia primã poſſe producere: tamen malim ἐκ κείνης legere. quod cum olim coniunctè, ut arbitror, ab aliquo ſcriptum fuiſſet, ſemidoctus deinde quidam corrupit. Et ne cui nouum hoc dictionis genus uideatur, proferã geminum è Lycophrone,

πολλοὶ δὲ πρόσθεν γαῖαν ἐκ κείνης ὀδὰξ
δάψουσι πρηνιχθέντες.——

Itaq; & quod in Electra eiuſdem legitur,

λόγον δὲ δὴ τίν' ἦλθες ἐκείνου φέρων;

(quæ ſunt Electræ ad Oreſtem uerba) ſimiliter emendandum credo. Nam & in Ione inquit idem,

——πρίν σοι θάνατον ἐκ κείνων μολεῖν.

Quin etiam è Sophoclis Electra uerſus hic nunc occurrit,

τέθνηκεν ὦ τάλαινα, inquit ad ſororẽ Electra,
τὰ κείνου δέ σοι
σωτήρι' ἔρρει.——

Nam

Nam & heic pro τὰ κείνυ, lego τὰκ κείνυ: id quod etiam uerſus poſtulat: Vocat autē τὰ ἐξ ἐκείνυ σωτήρια, τὴν ἐξ ἐκείνυ προσδοκωμένην σωτηρίαν.

Horatij locus explicatus.

Cap. 30.

ODa 37 de Cleopatra Lyricus ait;

——quæ generoſius
Perire quærens, nec muliebriter
Expauit enſem, nec latentes
Claſſe cita reparauit oras.

quæ poſtrema ſic exponunt pleriq;, Nec fugit in latētes & intimas Aegypti regiones, ut inde nouum repararet exercitum. Quam illorum ſententiam ut improbare nolim, ita libenter quæſierim, an ex uerbis Horatij, ut ſonant, acceptis hunc ſenſum eliciant. Nam illa quidem hoc potius uidētur ſonare, Cleopatrā intimas Aegypti regiones, quas amiſerat, ueloci claſſe nō reparaſſe. Quid ergo? Equidem hypallagē eſſe dixerim, cum nequeat aliter prior interpretatio ſubſiſtere. Atq; hoc figuræ genus etiā codex antiquus Horatij, quem poſtea uidere contigit, habēbat ad marginem annotatum.

GVLIELMI CANTERI NOVARVM LECTIONVM LIber Quintus.

Euripidis uerſus aliquot caſtigati. *Cap.* I.

EIus emendandi rationis, quę in diſiungendis uel coniungendis uocibus aut literis cōſiſtit; exempla quondam è Phœniſſis Euripidis, & Alceſtide protulimus: nunc ex eiuſdem Hercule furente tria non minus illuſtria, ni fallor, proponemus. Ac primùm chorus, Lyco tyrāno ſublato, gratulabundus inquit, *κρείσσων μοι τύραννος ἔφυς, ἡδύς γένει ἀνάκτων.* quod poſterius ego ſic emendo, *ἢ δυσγένει ἀνάκτων.* Dicitur autē *ἀνάκτων δυσγένεια*, pro *δυσγενεῖς ἄνακτες:* idq; Lyco tribuitur. Idē deinde chorus, poſt quā Rabiem animaduertit Herculi diuinitùs inſtare, ſic exorditur, *στέναξον ἀποκειρέ τε σὸν ἄνθος πόλις. ὁ διὸς ἔκγονος μέλεος· ἑλλὰς,* &c: quæ rurſum ita corrigo, *στέναξον, ἀποκείρεται σὸν ἄνθος, πόλις, ὁ διὸς ἔκγονος. μέλεος ἑλλὰς,* &c. Vocat autem Herculē florem Thebarum; quemadmodum Aeſchylus de Perſicis ducibus dixit, *τοιόνδ' ἄνθος περσίδος αἴας οἴχεται ἀνδρῶν.* quæ figura Latinis etiam & Gallis eſt uſitata. Deniq; cum Hercules iam reſipiſcens

ſcens ex Amphitruone, quid lacrymaretur, quæreret, reſpondet ille,

ἄκαν θεῶν τὶς εἴπαθ', οἱ καταςένοι.

qui uerſus omnium corruptiſsimus ita reſtituetur, partim diſiunctis, partim coniunctis uocibus,

ἃ κἂν θεῶν τις, εἰ πάθοι, καταςένοι.

Ea uidelicet ſe lugere dicit, quæ uel deus aliquis, cum ipſi accidiſſent, meritò defleret: erant autem hæc, nurus, ac nepotum cædes miſerrima. Valeant igitur, qui ἄκαν interpretantur pugnam & rabiem.

Tertulliani locus difficilis illuſtratus. Cap. 2.

QVanto ethnici olim Chriſtianorum flagrarint odio, præter alia documenta, uel inde patêre poteſt, quòd non contenti criminibus iïs, quæ ueritatis aliquam præ ſe ferebant ſpeciem, noua quoque & inaudita ac falſiſsima quæque de Chriſtianis confingere ſint auſi, quibus eorum nomen apud reges & imperatores inuidioſum redderent. Horum criminum quanquam multa poſſunt ex hiſtoriïs, quas Eccleſiaſticas uocãt, peti exempla, illa tamen ferè traduntur grauiſsima, cum optimi uiri ſcelerum atrociſſimorum, infantium cædis, pabuli crudi, & libidinis promiſcuæ arguebantur. Aiebant enim Chriſtianos, cum in unum conueniſſent,

ſent, infantem primò mactare, cuius & carne comeſa, & epoto ſanguine, fœdus inter ſe ferirent: deinde poſt conuiuium cum quibuſuis mulieribus impudentiſsimè commiſceri. id autem ut fieret commodius, ſolere canes ad candelabra alligari: qui ea, poſtquã proiectum eſſet ad ipſos panis aliquod fruſtum, ad id accurrentes, euerterent, itaq; luminibus extinctis facilem omnibus exercendæ libidinis rationem redderent. Hinc eſt, quòd in Apologetico doctiſsimus Tertullianus dixit: *Dicimur ſceleratiſsimi, de ſacramento infanticidij, & pabulo crudæ, & poſt conuiuium inceſto, quod euerſores luminum canes, lenones ſcilicet tenebrarum & libidinum impiarũ inuerecundia procurent.* Quin & paulo antè huius rei meminerat his uerbis: *Si de alio nocente cognoſcitis, non ſtatim confeſſo eo nomen homicidæ, uel ſacrilegi, uel inceſti, contenti eſtis ad pronunciandum, niſi & conſequentia exigatis, qualitatem facti, locum, tempus, conſcios, ſocios. De nobis nihil tale, cum æquè extorquere oporteret, quodcunq; falſò iactatur, quot quiſq; iam infanticidia deguſtaſſet, quot inceſta concelebraſſet, qui coci, qui canes affuiſſent.* Sic igitur locus eſt uterq; intelligendus, ac præcipuè quod de canibus utrobiq; dicitur. Nam hoc poſtremum interpres quidam, alioqui non indoctus, partim ad lenones impudentes, partim

tim ad homines inſtar canum ὠμοφάγους refert. Atqui nec lenones heic, nec ὠμοφάγοι per figuram canes appellantur, ut ille uult: ſed canes in priore quidem loco lenones, propter illud, quo fungebantur, officium: in poſteriori autem uero & natiuo nuncupantur nomine.

Ariſtophanis loca duo ab eodem mendo uindicata. Cap. 3.

QVantũ noceant bonis autoribus correctores ij, qui audaciores aliquando, quàm doctiores, temere quiduis, quod non intellexerint, mutant, ac ſæpe deprauant: abunde probabit quoddam in Ariſtophane uocabulũ, quod ita duobus in locis, una tantum litera mutata, corruptum eſt, ut omnem ſenſum atque elegantiam plane perdiderit. Ac primum in Auibus iubet ille cęleſtis urbis architectus, ſi Iupiter auibus imperium noluerit reſtituere,

ἱερὸν πόλεμον πρωὐδᾶν αὐτῷ, καὶ τοῖσι θεοῖσιν ἀπειπεῖν

διὰ τῆς χώρας τῆς ὑμετέρας (aues alloquitur) ἐστηκόσι μὴ διαφοιτᾶν.

Heic autem pro ἐστηκόσι legendum ἐσυκόσι, à σύω. Dicuntur autem σύειν uel σύεσθαι, qui tentigine laborant, quemadmodum tum ex ijs quæ hoc eodem loco ſequuntur, licet animaduertere, tum quod in Acharnenſibus

inquit ſub finem Dicæopolis,

κἀγὼ καθεύδειν βούλομαι καὶ ςύομαι.

Prouerbium quoq; tale fertur,

οὐδεὶς φρονεῖ δίκαιον ἐςυκὼς ἀνήρ.

Iam in Lyſiſtrata, cum ueniſſet Athenas legatus de fœderibus, quoniam ſeſe uiris indulgere belli tempore noluerant uxores, ac pallium, ne patêret ſua libido, protenderet, inquit Prytanes,

——*ἀλλ᾽ ἐςυκας ὦ μιαρώτατε.*

Deinde Athenienſes quoq; ipſi coram Lyſiſtrata morbum fatentur, cum aiunt, *ἐςύκαμες*. Quin & Euſtathius *ςύμα* quodam loco *ἔντασιν τοῦ αἰδοίου* exponit. Sed hęc, opinor, ſententię noſtrę probandę ſufficiunt: nunc ad alterum progrediamur eadem infectum labe locum, qui eſt in Pace. heic enim Trygæus meretrices duas è cęlo deducens, quarum ipſi altera, altera Senatui erat nuptura, ſic eas alloquitur:

——*δεῦρ᾽ ὦ κόραι,*

ἕπεσθον ἅμ᾽ ἐμοὶ θᾶττον. ὡς πολλοὶ πάνυ

ποθοῦντες ὑμᾶς ἀναμένουσ᾽ ἐςηκότες.

Quocirca hoc etiã loco *ἐςυκότες* legendũ cenſeo. id quod etiam Scholiaſtes uidetur animaduertiſſe, niſi quòd apud eum quoq; corrupta cernitur lectio. Quanquã autem exiſtimare poſſet aliquis, Ariſtophanem hoc loco de induſtria, ut & alibi, hanc pronuncia-

nunciationis ambiguitatem affectaſſe: tamen, quò reſpexerit, neminem iam, his ita declaratis, poteſt latere. Nam in priore quidem loco nō potuit locum hæc ambiguitas habere. Quomodo namque potuiſſent ſtantes dij διαφοιτᾷν, ſeu, quóquam commeare?

Tragicorum trium fabulæ in hiſtoricum ordinem redactæ. Cap. 4.

SIcut in omni ſcriptione plurimùm ad perſpicuitatē facit ordinis obſeruatio: ſic etiam in poetis legendis non parum uidetur referre, ſi quis hiſtoriarum uel fabularum, quas ij tractant, ordinem ſecundum temporum ſeriem conſideret. Atque ut alia omittam poetarū genera, Tragici profectò tres præſtātiſsimi, Aeſchylus, Sophocles, Euripides, quoniam uarias habent ſuorum dramatum hypotheſes, eæ ſi ordine ſuo collocatæ, hiſtoriæ ſeriē in ſingulis tragœdijs lectori patefacerēt, id nō minus utile quàm iucundum fore ſemper exiſtimaui. Quapropter ut ſtudioſorum commodo cùm alijs in rebus, tum in hac etiam conſulerem, feci diligenter, ut ſingularum argumenta tragœdiarum breuiter hiſtorico deſcripta ordine, ante oculos proponerem, quo poſſet lector in Tragicorū lectione uerſans, quæ eſſent ſingularū rerum antecedentia, coniuncta, uel conſequentia, paruo labore cognoſcere,

& perpetuam hiſtoriæ tragœdiam, uel tragœdiæ potius hiſtoriam uno complecti in tuitu. Nunc igitur ad rem ueniamus. Antiquiſsima ferè eſt Promethei fabula, qui Aegyptius fuit, & Atlantis aſtrologi frater. floruit autem Ioſuæ tempore, & Cecropis, primi Athenarum regis, circa annum mundi 2425. De hoc Aeſchylus tres conſcripſit tragœdias, quarum quæ eſt ordine media, ad nos duntaxat peruenit. In hac Prometheus ad Caucaſum alligatus, Ioni uagæ errores ipſius prędicit: Aeſchylus Prometheo uincto. Centũ ferè pòſt annis Danaides uirgines Aegypti filijs nubere nolentes, Argos confugiunt, itaq; ab illis liberantur: Aeſch. Supplicibus. Rurſus centũ pòſt annis Ion, Apollinis ex Creuſa filius, Xutho primùm, deinde etiam Creuſę, eius uxori, cum liberis carerent, oraculo attribuitur: Euripides Ione. Non longo pòſt tempore, Pentheo à Bacchis diſcerpto, Cadmus abigitur, in anguem commutandus: Eurip. Bacchis. Tunc etiã Medea, interemta pellice, Aegeo, regi Athenarum nono, nupſit: Eurip. Medea. Sub eius filio, Theſeo, Hippolytus à Phædra mortua accuſatus, perijt: Eurip. Hippolyto. Cum Theſeo floruit etiam Hercules, de quo hæc tradũtur. Alceſtin primùm, Admeti uxorem, reſuſcitat: Eurip. Alceſtide.
Deinde

Deinde occiſis per furorē liberis, Athenas à Theſeo deducitur: idē Hercule furente. Deniq; induta Neſſi, ut ita dicam, tunica, moritur: Sophocles Trachinijs. Sed ut ad Theſeum reuertamur, ſub eo quoq; bellum Thebanum commiſſum eſt. Atq; Oedipus quidem, agnitis facinoribus ſuis, ipſe ſe excæcauerat: Sophocles Oedipo rege. Tum fratres duo, Polynices & Eteocles, mutuis pereunt cædibus: Aeſchylus Septē ad Thebas. Sub hoc tempus Oedipus Athenas profectus, audita filiorum contentione, moritur: Sophocles Oedipo Coloneo. At apud Euripidem occiſis demum fratribus, Oedipus ex urbe eijcitur: Eurip. Phœniſsis. Mox Antigone, ſepulto contra edictum fratre Polynice, uiua defoditur, mortuis inſuper Hemone & Eurydice: Sophocles Antigone. Tum etiam Argiuæ matronæ Athenas profectæ, à Theſeo impetrant, ut Creontem cogat Argiuis ſepulturam permittere: Euripides Supplicibus. Paulo pòſt bellum Troianum exarſit, ſoluentibus è Græcia nauibus mille ducentis, anno mundi circiter 2770. Ac primùm quidem Iphigenia, in itinere à Græcis mactanda, euaneſcit: Euripides Iphigenia Aulidenſi. Decimo deinde oppugnationis anno Rheſus occiditur, abductis equis: Eurip. Rheſo. Mortuo

pòſt Achille, Aiax de armis iratus, manus infert ſibi: Sophocles Aiace. Tum Philoctetes è Lemno ad Troiam abducitur: Idem Philoctete. Poſt captam Troiam, occiſo Aſtyanacte, & captiuis mulieribus diſtributis, ſoluunt Græci: Euripides Troadibus. Mox etiam Hecuba, poſt immolatam Polyxenam, Polymeſtorem egregiè ulciſcitur: Eurip. Hecuba. Vlyſſes in itinere Polyphemo excæcato, ſoluit unà cum Sileno: Eurip. Cyclope. (Sub hoc ferè tempus Heraclidæ, iuuantibus ipſos Athenienſibus, Euryſtheum in prœlio capiunt, & occidunt: Id. Heraclidis.) Agamemnon autem domũ reuerſus, ab uxore iugulatur: Aeſchylus Agamemnone. Oreſtes uiciſsim matrẽ & uitricum occidit: Aeſchylus Choephoris, Sophocles Electra. Idem occiſis ijſdẽ, Athenas proficiſcitur: Euripides Electra. At in Oreſte eiuſdem, ab Argiuis idem condẽnatus, Athenas petit. Nihil enim prohibet, quo minus, ut apud alios poetas alia reperitur eiuſdem fabulæ œconomia, ita in alijs fabulis alia apud eoſdem reperiatur. Athenis deniq; reus abſoluitur Oreſtes: Aeſchylus Eumenidibus. Andromacham deinde liberante Peleo, Oreſtes, occiſo Pyrrho, Hermionam ducit: Euripides Andromacha. Mox etiam Iphigeniam ſororem in patriam reducit;

cit: Eurip. Iphig. Taurica. Helenam quoq; Menelaus ex Aegypto recuperat: Idem Helena. Sexcentis ferè pòſt annis Xerxes è Græcia rediјt, amiſſa uictoria: Aeſchylus Perſis. Atq; ita ab Aeſchylo primo exorſi, in eodem poſtremo deſinimus.

Orphei uerſus duo reſtituti.

Cap. 5.

EXtat quidam apud Orpheum in Argonauticis locus, quē ut ſincerum eſſe crederem, nunquam equidem mihi perſuadere potui: quamuis in eo nihil prima fronte tam mēdoſum appareret, quin lectorē nō ſatis attentum facilè falleret. Cum enim initio operis, in Argonautarū numero hîc habeatur inter ceteros uerſus,

αὐτὰρ δὴ πελίαο φεραίοθεν ἤλυθ' ἄνακτος
ἀγχιςεύς.

quis eum non probum exiſtimaret, & integrum? Veruntamen cum reliqui Argonautæ nominatim à Poeta ſinguli citentur, id autem heîc non obſeruetur: ea res meritò mihi ſuſpectum hunc locum reddidit. Huc accedit, quòd Apollonius eoſdem ferè, quos Orpheus, Argonautas ponit, & inter ceteros Acaſtum, Peliæ F. de quò ſic refert,

οὐδὲ μὲν οὐδ' αὐτοῖο πάϊς μενέαινεν ἄκαςος
ἰφθίμου πελίαο δόμοις ἔνι πατρὸς ἑῆος μιμνάζειν.

Vnde facilè in eam adducor ſententiam,

 ut pu-

ut putem, in Orpheo pro ἄνακτος reponendum ἄκαστος. Nam quod hic eum affinem ſeu generum, ille filium Peliæ facit, hoc diſcrimen paruũ eſt, & quod poeticę licentiæ condonari debeat. In eodem porrò libro, ut id pro corollario adijciam, uerſus qui ſic legitur,

ὕδαλι ἴξ δ' αὖμας χολάδας χέομεν περὶ βόθρον,

ita eſt è manuſcripto codice reſtituendus,

ὕδατι δ' αὖ μίξας χολάδας χέομεν περὶ βόθρον.

Horatij locus explicatus, eiusq; uulgata lectio defenſa. Cap. 6.

INitio quarti Carminum inquit ad Venerem Horatius,

Tempeſtiuius in domo
Pauli purpureis ales oloribus,
Comiſſabere Maximi,
Si torrere iecur quæris idoneum.

In quibus uerbis qui hac ætate pro *purpureis* auſi ſunt reponere Marmoreis, ij uellem paulo diligẽtius & honori ſuo, & lectorum non prorſus inſulſorum patientiæ conſuluiſſent. Ut enim omittam dicere, quãtæ ſit audaciæ, cõtra tot exemplarium fidem tam confidenter locum tam integrum immutare: an, quia purpureos nemo cycnos uidit, ideo purpurei dici non poterunt? Atqui Euripides pedem cycni purpureum uocauit. ſic enim ait in Ione, ὅδε περὶ θυμέλας ἄλλος ἐρέσσει κύ-

σέκυκν@ (ſic enim ſcribendũ, non κύκλ@, rectè coniecit Brodæus) ὐκ ἄλλα φοινικοφαῆ πόδα κινήσεις; Quocirca ut corpore ſint candido cycni, pedum tamẽ ratione purpurei po terũt à poetis uocari. Quod ſi nec hoc ſufficiet, qd uetabit, quo minus & Phrynichus corrigatur, qui πορφυρέας γνάθυς iuueni cuidam tribuerit: & Simonides, qui de uirgine dixit, πορφυρέυ ἀπὸ σόματ@ ἱεῖσα φωνάν. Nam & hac de re olim inter Sophoclẽ poetam & literatorem quendam ortam eſſe diſputationẽ, refert ex Ione poeta Athenæus. Nec defuerunt apud Latinos, qui purpuream niuem dicerẽt. Quapropter cenſeo, deletis marmoreis, purpureos in Horatium cycnos quaſi poſtliminiò reuocandos eſſe. Adderẽ quoq;, Seruium in primum Virg. purpureos legere, niſi hoc ſuperuacuum uideri poſſet.

Anacreontis carmen expoſitum, & alterum correctum. Cap. 7.

ANacreon in oda quadam εἰς ἔρωτα, poſtquam ſuam cum Amore pugnam narrauit, cuius is fuiſſet exitus, ut Amor, cum ſagittas omnes cõſumſiſſet, ſeſe deniq; pro telo in cor Anacreontis immitteret: addit tandem,

μάτλω δ' ἔχω βοείλω.
τί γὰρ βαλώμεθ' ἔξω,

μάχης ἔσω μ' ἐχούσης.

quos lepidiſsimos uerſus ita nos ex tempore uertebamus,

Fruſtra tenebo ſcutum.
Cur muniamur extra,
Intus uigente pugna.

Eſt autem heic animaduertendum, me βαλώμεθα non exponere Petamur, aut Feriamur, cum alijs: ſed περιβαλώμεθα. ſiquidem ita ſæpe apud poetas ſimplicia, quæ uocant, uerba pro compoſitis ponuntur. Et quoniam ſimile nunc ex Euripide occurrit exemplum, non grauabor apponere. In Medea enim, inquit ad eam Iaſon ſub diſceſſum,

ὡς οὐ κρινοῦμαι τῶνδέ σοι τὰ πλείονα.

Heic nimirũ κρινοῦμαι pro ἀποκρινοῦμαι poſitum uidemus. Iam Anacreon idem locum quendã Bathyllo uolens commẽdare, poſtquàm arborẽ frondoſam laudauit, ſubiũgit,

παρὰ δ' αὐτῷ ἐρεθίζει
πηγὴ ῥέουσα πειθοῦς.

quibus in uerbis corrupta uox ἐρεθίζει mutanda eſt in περετίζει: quod quamuis cicadarũ ſit & cithararũ proprium, non inepte tamẽ ad murmur aquæ perſtrepẽtis trãsferri poteſt.

Ex Ammiano mendæ duæ ſublatæ.

*Cap.*8.

QVoniã in Ammiano Marcellino corrigendo multum ſtudij quoſdam poſuiſſe

ſuiſſe uideo, ut hunc hiſtoricũ, quanquã uix dimidiatum, paulo tamen libentius legeremus: nec mihi putabo, ſi quid in eandem rem operæ contulero, indecorũ fore. Itaq; ſub finem lib. 25. inter cetera Sabinus traditur dixiſſe, *Iouianum inter exordia principatus prouinciarum muro ceſsiſſe, cuius obiſſe iam inde à uetuſtate innoxiæ permanſerunt.* Heic pro *obiiſſe* legendum arbitror Obijces, ſi modò ſenſum aliquem uerba ſunt habitura. Deinde initio lib. poſtremi de Hunnis hæc habẽtur corrupta, mutilaq; uerba: *Eoq; omnium acerrimos facilè dixeris bellatores, quòd procul miſsilibus telis, acutis oſsibus pro ſpiculorum acumine arte mira coagmentatis, ſed diſtinctis cominus ferro ſiue ui reſpectu con .... hoſtesq; dum mucronũ noxias obſeruant, contortis lacinijs illigant, ut laqueatis reſiſtentium membris equitandi uel gradiẽdi adimant facultatem.* quæ nos ita partim emendamus, partim ſupplemus: Eoq; omniũ, &c. arte mira coagmentatis & diſtinctis: cominus ferro ſine ullo reſpectu congrediũtur, hoſtesq;, &c.

Solonis uerſus, ad quos Plutarchus alluſit, prolati. Cap. 9.

QVod ait de Solone in eius uita Plutarchus, καὶ τῶν ἀγωγίμων πρὸς ἀργύριον γεγονότων πολιτῶν, τοὺς μὲν ἀπήγαγεν ἀπὸ ξένης, γλῶσσαν οὐκ ἀττικὴν ἱέντας ὡς ἂν πολλαχῆ πλανωμένους. τοὺς

νους. τοὺς δ' ἐνθάδ' αὐτοῦ δουλοσύνην ἀεικέα ἔχοντας, ἐλευθέρους φησὶ ποιῆσαι: in his ergo uerbis ad Solonis uerſus, quos pro arbitrio ſuo mutat & mutilat, alludit: qui quoniam integri apud Ariſtidem leguntur, nō poſſum, quin eos, qua ſunt uenuſtate, inde producā, quo Plutarchum ſimul & illuſtrent & emēdent.

πολλοὺς δ' ἀθήνας ἐς πατρίδ' εἰς θεόκτιστον (θεόκτιτον lego)

ἀνήγαγον πραθέντας ἄλλον ἐκδίκως,

ἄλλον δικαίως, τοὺς δ' ἀναγκαίης ὕπο

χρησμὸν λέγοντας, γλῶσσαν οὐκέτ' (ut & in Plut. leg. pro οὐκ) ἀττικὴν

ἱέντας, ὡς ἂν πολλαχῇ πλανωμένους.

τοὺς δ' ἐνθάδ' αὐτοῦ δουλείης (δουλείην lego) ἀεικέα

ἔχοντας ἤδη δεσπότας τρομευμένους,

ἐλευθέρους ἔθηκα, &c.

Quin etiam quę præcedunt in Plutarcho de eodem uerba, σεμνύνεται γὰρ ἐν τούτοις, ὅτι τῆς τε προϋποκειμένης γῆς ὅρους ἀνεῖλε πολλαχῇ πεπηγότας, πρόσθεν δὲ δουλεύουσα, νῦν ἐλευθέρα: ut eodē modo ad Solonis uerſus alludunt, ita & hi in Ariſtide leguntur integri:

συμμαρτυροίη ταῦτ' ἂν ἐν δίκῃ χρόνου

μήτηρ μεγίστη δαιμόνων ὀλυμπίων

ἄριστα γῆ μέλαινα, ἧς (τῆς lego) ἐγώ ποτε

ὅρους ἀνεῖλον πολλαχῇ πεπηγότας.

πρόσθεν δὲ δουλεύουσα, νῦν ἐλευθέρα.

Hos omnes deniq; qui uolet Latinos legere,

gere, noſtram Ariſtidis uerſionem cõſulat, ne quid nimis, quod aiunt.

Ciceronis locus emendatus.

Cap. 10.

DE iure diſputans primo de Legibus Cicero, *Quid enim eſt*, inquit, *tantum, quantum ius ciuitatis? quid autem tam exiguum, quàm eſt munus hoc eorum qui conſuluntur? quàm eſt populo neceſſarium?* In quibus poſtremis uerbis aliquid ſubeſſe uicij, iampridem non leuiter eram ſuſpicatus. uix enim ſatis diſpicere poteram, quorſus hæc interrogatio poſtrema pertineret. Poſtea deprehendi Manutium doctiſsimum, doctiſs. Turnebi ſententiam ſecutum, pro *Quàm* legere Quum, ſublata interrogandi nota. Sed ego hanc illorum correctionem (liberè ut loquar) non nimis probare poſſum. ac ſi mihi liberum ſit, ut illis, diuinare, pro *quàm* libenter legerim Quanquam. id quod facilius etiam conceſſuri mihi ſint ij, qui antiquam ſcribendi rationem non ignorant, ac præſertim quæ ſingulis lineis tranſuerſis multas plerumque literas complectitur.

Ex Euripidis Ione uerſus aliquot caſtigati. Cap. 11.

ION apud Eurip. deprehenſa Apollinis libidine ac perfidia, miratur, qui fiat, ut ij qui leges hominibus tulerint, dij contra leges

ges ipſi facere deprehendantur: ac minatur fore, ut, ſi pœnas aliquando ſuorum furtorũ nuptialium Iupiter, Apollo, atque Neptunus luere cogantur, breui uacua ſint futura templa, eiectis uidelicet impijs & impuris dæmonibus: quorũ tanta erat nequitia, ut eam uel pueri, & qui erant ipſis addictiſsimi, non poſſent ignoſcere. Verùm hæc poſteriora mendis aliquot in contextu Græco ſunt inquinata, quę ut eluantur commodius, ipſum proponemus.

εἰ δ᾽, οὐ γὰρ ἔσται, τῷ λοιπῷ δὲ χρήσομαι,
δίκας βιαίων δώσετ᾽ ἀνθρώποις γάμων,
σύ, καὶ ποσειδῶν, ζεύς θ᾽, ὃς οὐρανοῦ κρατεῖ,
ναοὺς τίνοντες δ᾽ ἀδικίας κενώσετε.

Ac primum quidem uerſum eſſe corruptum, ſatis docet uox *λοιπῷ*, quæ nullũ heic poteſt locũ per carminis leges habere. Itaque miror, quid in mentem uenerit interpretibus, ut eam uocem, quam conſtabat eſſe corruptam, uertendã duxerint. Quocirca cum Iuſtinus martyr hos uerſus in lib. de Monarch. Dei citet, quanquã etiam apud illum corrupti leguntur, & mutili, nonnihil tamẽ ex ea collatione poterit Euripidi lucis accedere. Nam apud illum quidem hæc corrigere iampridem eius interpretes, ſi quidem ſuũ cognouerunt officiũ, potuêre. Iuſtinus porrò primum uerſum ſic habet,

εἰ δ᾽

εἰ δ' οὐ πάρεστε, τῷ λόγῳ κεχρήσομαι.

Vnde mihi in mentem uenit cogitare, ſi forte ita ſit legendus,

εἰ δ', οὐ γὰρ ἔσται, τῷ λόγῳ δὲ χρήσομαι.

quaſi dicat Ion, haud putare ſe fore, ut id aliquando contingat: uerùm ita ponere, quaſi id olim poſsit cõtingere, ut ita facilius, quid inde ſit euenturum, eliciat: nempe quod ſequitur,

ναοὺς τίνοντες δ' ἀδικίας κενώσετε.

quanquam heic etiam eſt mendum, quoniã δὲ eſt tollendum, ut hic uerſus cum ſuperioribus connectatur. atque ita Iuſtinus etiam uidetur legiſſe. Quin & alibi hæc eadem particula uidetur ſupereſſe: ac primùm in hac tragœdia, cum ad Xuthum dicet Ion,

ἐλθὼν δ' ἐς οἶκον, &c.

πῶς δ' οὐχ ὑπ' αὐτῆς εἰκότως μισήσομαι.

nam & heic poſterius δὲ tollendum eſt, cum ea referantur ad prius δέ. id quod non animaduertentes alij, perperam ἐλθὼν in ſecunda perſona, & γυναῖκα, uxorem pro muliere ſunt interpretati. Iterũ uerò quod ait idẽ ad Creuſam ſub finem,

ἀλλ' ἐγνώμεσθα πατρὸς δ' οὐσίαν λέγω,

eandem habet uocem ſuperfluam, ut ex carminis menſura licet cognoſcere. Nec aliter quod in Hecuba legitur ab ipſa prolatum,

——κεῖνος δ' ὀλβιώτατος.

ὅτω κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακὸν,
eodem laborare uicio deprehenditur. Quin etiam Sophoclis uerſus in Philoctete,
τίς σ' ὦ τέκνον προσέσχε, τίς προσήγαγε
χρεία, τὶς ὁρμὴ, τὶς δ' ἀνέμων ὁ φίλτατος,
eodem uidetur emendandus modo. Sed ut ad primum redeamus locũ, in eo & alia quę dam non contẽnenda poſſunt ex Iuſtini col latione corrigi. Ac primũ quod legitur ante uerſus à nobis citatos,
προδίδωσι παῖδας τεκνούμενος λάθρα,
rectius habet Iuſtini exemplar, ἐκτεκνούμενος λάθρα. Tum quod ſequitur,
——καὶ γὰρ ὅστις ὢν βροτῶν
κακὸς πεφύκει,——
idem habet emendatius, ὅστις ἂν β. κ. πεφύκῃ.
Reliqua minutiora, qui uolet, ex ipſo petat.

Horatij odæ duæ ex antiquis codicibus correctæ. Cap. 12.

ODa 23 lib. primi hoc habet initium,
Vitas inuleo me ſimilis Chloe.
Manuſcriptum exemplar melius habet, Vitat inuleo. quam ſcripturam adiuuat etiam interpres uterque, cuius eadem ſunt utrobique uerba: *Senſus autem hic eſt, Chloe me uitat & timet*, &c. quæ nequaquam debent pro corruptis haberi. Quin & quæ ſequuntur apud Horatium,
Et corde & genibus tremit,

nobi-

nobiſcũ faciunt. Nam quę ſubſequitur apoſtrophe, ex familiari poetis mutatione perſonarum ducitur. Nec eſt, quòd moueat aliquem quantitatis ratio, quam in hac re ſæpe à Poeta confundi, docuerũt iamdudum alij. Iam oda 32 hoc habet primum carmen,

Poſcimus, ſi quid uacui ſub umbra
Luſimus tecum.——

Sed heic quoq; idem codex habebat Poſcimur, quod equidem longè præferendũ iudico. Nã & heic interpres uterq; hanc lectiònem ſequitur. & Acro quidem, cum ait, *Poſcebatur enim dicta ſua edere:* Porphyrionis autem hęc eſt interpretatio, *Nos uacui ſi quid luſimus, exigitur à nobis ut canamus*. Perſpicuum igitur eſt utrobiq; τὸ παθητικόν.

Quid ἑὸς *ac* σφέτερος *ſæpe ſignificent, declaratum. Cap.* 13.

LAtius aliquãto, quàm uulgò creditur, patent hæc prouocabula ἑὸς καὶ σφέτερος. Nam cum ſoleãt plerunq; ad tertiã perſonã παρὰ τοῖς καταλογάδην δοκίμοις referri, poetæ tamen etiam ad reliquas duas eorum uim extenderunt, ut iam τοῦ ἰδίου notionem obtinẽtes, pro ἐμὸς, σὸς, ἡμέτερος & ὑμέτερος ponerentur. Huius rei teſtes adferemus locupletes; optimos poetas. Apollonius;

——*ἀλλά κε ῥᾷον*
αὐτὸς ἑὸν λελάθοιμι νόον.—— *Lib.* 2.

r Sic

Sic enim legendũ, non ἐμὸν, docet Scholiaſtes, qui ἑὸν pro ἐμὸν poſitũ declarat. Idem,

3 —ἀτὰρ εἴ μιν ἑαῖς ἐνὶ χερσὶ βάλοιο,
ἀστὴρ ὥς, φλεγέθοντα δι᾽ ἠέρος ὁλκὸν ἵησιν.

Heic ἑαῖς exponẽdũ per τεαῖς: & iterũ ibidẽ,

μητέρ᾽ ἑὰν ἀχέουσαν ἀποπρολιπόντες ἵκοισθε.

ἑὰν pro ὑμετέραν uſurpauit. Theocritus Megara,

—μηδ᾽ ἐν σε χερειότερον φρεσὶν ἦσι
ἔργον, ἢ εἴπερ μοι ὑπ᾽ ἐκ νηδυόφιν ἦλθες. pro ἐμαῖς. & Encomio,

ἐς ναὸν κατέθηκας, ἑᾶς δ᾽ ἀπεδάσσαο λιμᾶς:

pro τεῆς. Malè namq; illic legi uulgò τεᾶς, αὐτὸ σημαίνει, quod aiunt. Quin etiam quod in Cyclope legitur,

ἦνθες ἐμᾷ σὺν ματρί, θέλοισ᾽ ὑακίνθινα φύλλα
ἐξ ὄρεος δρέψασθαι.—

rectè Auratus noſter in ἑᾷ mutandum cenſet, & per ſecundam perſonã exponendum. Quod illius iudiciũ confirmat & Virgilius, qui cum in Pharmaceutria locum hunc ſic expreſſerit,

Sepibus in noſtris paruam te roſcida mala
(Dux ego ueſter eram) uidi cum matre legentem:

ἑᾷ uidetur potius quàm ἐμᾷ legiſſe. In ueteri tamen libro quodam, ne quid reticeam, reperi ſcriptũ ἐμοί. Iam in Sibyllis Ioua ſic ad Noam loquitur,

νῶε δέμας θάρσυνον ἑόν.—

Pinda-

Pindarus quoque hac ratione ἑὰν ἀλήθειαν quodam loco pro αὐτῇ καὶ ἰδίᾳ poſuit. At Calabri ſunt hæc,

ὤλεό μοι φίλε τέκνον, ἐῇ δ' ἄρα μητέρι πένθος
ἀργαλέον τεθήκας.——pro τῇ. &,
νῦν δ' οὔτ' ἄρ σύγ' ἐσεῖδες ἑὸν τέκος.——

quanquam τεὸν eſt editum. &,

μὴ νύ τι δειμαίνοντες ἑῆς χαζώμεθα πάτρης. pro ἡμετέρας. &,

ἱστὸν ἐπεντύνεσθε ἑῶν ἔντοσθε μελάθρων. pro ὑμετέρων.

Ceterũ quod in ἑὸς, idem & in σφέτερος, ut diximus, uſuuenit. Heſiodus,

δεῦτε, δί' ἐννέπετε σφέτερον πατέρ' ὑμνείουσαι.

Apollonius,

δὴ ῥα τότε σφετέρῃ ἀπὸ μητέρι τίνετ' ἀμοιβήν. pro 4
ὑμετέρα. & mox, μητέρι δ' ἣ σφετέρῃ μενοεικέα πίσσαι ἀμοιβήν. pro ἡμετέρα.

Theocritus ἡρακλεῖ λεοντοφόνῳ,

ὡσείπερ σφετέρῃσιν ἐνὶ φρεσὶ βάλλομαι ἄρθ. pro ἐμαῖς. & Dioſcuris,

——σφετέρης μὴ φείδεο τέχνης. pro τῆς.

Nec uerò mira uideri debet horum prouocabulorum uaria uis, cum etiam ipſum οὗ pro ἐμοῦ nõnunquam ponatur. Apollonius,

εἶο μὲν οὐδ' ἠβαιὸν ἀτύζομαι.—— 2

Quocirca optimo iure explodẽda uenit Scholiaſtæ proteruia, qui non dubitat hoc, & ſuperiora cũcta, quotieſcunq; occurrunt,

οὐχ ὑγιῶς καὶ κακῶς (hæc enim ſunt illius uerba) poſita affirmare. quod quidem eius commentum ita quibuſdam placuit, ut id etiam in Lexica ſua ſtudioſè inſerſerint. Sic enim ſæpe cæci cæcos, ut aiunt.

Homerus ab Ariſtotelis reprehenſione defenſus. Cap. 14.

Odyſſ. v. IN priore de Poetica lib. Homerũ eſt auſus Ariſtoteles reprehẽdere, quòd Vlyſſem feciſſet, cum ad Ithacam appuliſſet, & ſomnò correptus eſſet, à Phæacibus unà cũ donis Alcinoi exponi: additq́; niſi hoc ab inſigni poeta confictum fuiſſet, tolerari nequaquam poſſe. Quanquam autem alię poſſunt huius errati, ſi ſic uocandum eſt, defenſiones ex ipſis Ariſtotelis peti præceptis: una tamen excellit inter ceteras ratio, quam uel neſciuit, uel certè neglexit Ariſtoteles: quæq́; ſola non ueniam Homerum, ſed laudem inſignem hoc figmento mereri conprobat. Etenim quamuis permulta ſint in Homerica poeſi inſignia & admiranda, propter quæ meritò & diuinus à Democritò uocari poeta, & ingeniorum palmam à Plutarcho accipere potuerit: unum tamen eſt quiddã, quod eum reliquis omnibus, quotquot unquam fuerunt, poetis excellentiorẽ facit, quodq́; ij qui ceteras eius uirtutes poſteris tradiderunt, uel parum, uel prorſus

non

non explicatum omiſerant. Eſt autem hoc, quòd μυθοποιίαν ſuam non temerè, nec confuſè, ſed accuratè, & prudenter, tantoq; cum ordine perſecutus eſt, ut eius ſingulę partes aptiſsimè inter ſe cohæreant, ac ſub dulciſſimo fabularum inuolucro perpetuã quandam à principio ad finem uſq; allegoriam contineant. Id autẽ in Odyſſea uel maximè apparet: de qua quia nunc agitur, eius allegoriam paucis, præſertim quod ad Ariſtotelis quæſtionem attinet, percurremus. Vlyſſes igitur, ne longum faciam, proponitur ab Homero uir non tam ſapiens aut felix, niſi quantum humanę res ferunt, quam ueræ ſapientiæ ac felicitatis (hæc enim Penelope eſt, hæc Ithaca) ſtudioſus: ob quàm conſequendã multos labores ac errores in mari, mundo uidelicet, ſubit. Comites habet in hoc ſtudio nonnullos, ſed qui in itinere ferè omnes deficiant, partim gula, partim libidine, partim alia qualibet clade intercepti. Ipſe poſtremò ſolus, abſorpta naue, ad Calypſonem enatat: & inde Phæacum miniſterio, morte obita, optatam felicitatem conſequitur. Hoc igitur cum haberet ſibi Homerus propoſitum, cùm alia ad eam rem pertinẽtia aptiſsimè confinxit omnia, quę nimis eſſet longum demonſtrare: tum, quam homines obeunt neceſſariò, mortem per ſom-

num feliciſsimê expreſsit. Ac primùm dormiens introducitur Vlyſſes extremo quinto Odyſſeæ, cum in Phæaciam nudus enataſſet, & à Minerua conſopitus eſſet. quo in loco ſuauiſsima eſt hæc Homeri cōparatio:

ὡς δ' ὅτε τις δαλὸν σποδιῇ ἐνέκρυψε μελαίνῃ,
σπέρμα πυρὸς σώζων, ἵνα μή ποθεν ἄλλοθεν αὔοι,
ὡς ὀδυσεὺς φύλλοισι καλύψατο, τῷ δ' ἄρ ἀθήνη
ὕπνον ἐπ' ὄμμασι χεῦ', ἵνα μιν παύσειε τάχιστα
δυσπονέος καμάτοιο φίλα βλέφαρ' ἀμφικαλύψας.

Iterum autem dormit, dum à Phæacibus in patriam per mare deducitur. ſic enim requirebat allegoriæ ſeries. Nam quæ interijciuntur inter utrunque ſomnum, ad ſepulcrū & funus pertinent, ita ut continuum intelligamus re uera ſomnū fuiſſe. Phæaces enim intelliguntur *οἱ φαιοὶ*, ſiue pullati, qui poſt funebrem cenam, & epitaphium ſermonem quatuor libris habitum, funus deducunt. Quin & nauis, quoniam pro ſepulcrô fuit, in ſaxum denique mutatur. Nam, ut & hoc obiter adijciamus, inter Corcyram & Ithacam iacet Samos, quæ eſt *σῆμα* ſeu tumulus. Sequitur Aſteris inſula, quam Stellatam licet dicere, per quā ad Ithacam eſt iter: quæ, uti diximus, felicitas eſt, & beata uita. Veruntamen hac potiri commodè non poteſt Vlyſſes, antequam procos arcu uincat, & ſimul

mul cum ancillis de medio tollat. Qui etenim perturbationibus animi & cupiditatibus, fruſtra felicitatem ambientibus, impetrare non poteſt, is nequit beatitudinis particeps fieri. Quibus ita declaratis, nemini poſthac mirum uideri debet, cur Vlyſſem Homerus, cæleſtis patriæ iamiam compotē futurū, dormire ſeu mori faciat. Hæc aūt ex cuius ingenio prodierint, ſi quis requirat, I. Auratum, maximum ſanè uirum, unicum & optimum Homeri interpretem, autorem laudabo.

Platonis in Gorgia locus caſtigatus.

Cap. 15.

INter ceteros Platonis dialogos extat quidam, cui Gorgias nomen dedit: in quo Socrates inducitur Rhetoricam & eloquentiam ita deprimens, & ex omni honeſto eijciens loco, ut eam in adulationis parte ponat: & cum ſophiſtica, coquendi, comendiq; artibus comparet. Nam cum duas feciſſet rerum duarū, animi atq; corporis, artes: alteram ciuilem, alterā quæ partes haberet duas, Gymnaſticen & Medicinam, quemadmodum & illi ſubiectæ eſſent ars legum ferendarum, & ars iudicandi: harum ſingulas ait ſimulantem adulandi artem, quadrifariam ſe diuiſiſſe: ac Medicinæ coquendi artem, Gymnaſticæ artem comendi, arti legū

ferendarū Sophiſticam, iuris dicendi Rhetoricam ſuppoſuiſſe. Ac de prioribus quidē duabus hæc ſunt eius uerba: τῇ μὲν οὖν ἰατρικῇ ἡ ὀψοποιϊκὴ κολακεία ὑπόκειται, τῇ δὲ γυμναστικῇ κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον τοῦτον ἡ κομμωτική, κακοῦργός τε οὖσα καὶ ἀπατηλὴ καὶ ἀγεννὴς καὶ ἀνελεύθερος, σχήμασί τε καὶ χρώμασι καὶ λειότητι καὶ αἰσθήσει ἀπατῶσα, &c. In ijs igitur, quibus homines poſsint ſe comere, ponit figuras, colores, ac læuitatem. ſed quod adijcit poſtremò, ſenſum, id proculdubio mendo non caret. Quid enim ſenſus ad comtum plus, quàm ad alia, confert? Quinimò pro αἰσθήσει audacter equidem ἐσθῆσι legerim. Veſtes enim uel maximè comtos nos & ornatos reddunt. Neq; aliter qui apud Artemidorum legitur lib. 4. titulus περὶ ἀκινήτων αἰσθητικῶν, corrigendus uenit, ac legendum ἐσθήτων. Quanquam enim hoc leue eſt, ſimilitudinis tamen gratia addendum cenſui.

Propertij carmina duo reſtituta.

Cap.16.

Lynceum poetā iubet lib. ſecundo Propertius, quoniā ſit amore captus, omiſſis grauioribus poematum generibus, ut Heracleide, Thebaide, alijs, ad leuiora ſe transferre, & Philetam atq; Callimachum ſtudere imitari. Sic igitur ait inter cetera,

Nam rurſus licet Aetoli referas Acheloi

Fluxerit

Fluxerit ut magno factus amore liquor, &c.
quibus uerſibus cum non uulgaris menda ſubſit, quam tamẽ adhuc nemo, quod ſciam, animaduertit: eius eluendæ iampridem ueniſſe diem arbitror. Itaq; pro *factus* legendum eſt Fractus: ut ex hiſtoria Acheloi, & eius cũ Hercule luctę fit perſpicuum. Quod enim heic fractus dicitur, id de cornu duntaxat altero intelligitur, quod ipſi Hercules in taurũ mutato confregit, cum Deianiram uterq; ſibi uindicare ſtuderet. Aliter autem de ſeipſo dicit Poeta lib. tertio,
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore.

Ceterùm paulo poſt eos, quos iam corrigebam, uerſus hi duo ſubiunguntur,
Sed non antè grauis taurus ſuccumbit aratro,
Cornua quam ualidis hæſerit in laqueis.
in quibus item uerbum unum non ſatis integrè poſitum, eodem tenore, ut aiunt, reſtituetur. nam poſteriorem uerſum ſic lego,
Cornua quàm ualidis læſerit in laqueis.
Nec aliter eſt emendandum, quod in fine Dirarum legitur,
Et mecum tenera gauiſa eſt ludere in herba,
Purpureos flores.——

Nam & heic Lædere ſcribendum, pro *ludere*, alioqui flores quorſum pertinebunt?

Oracula duo Sibyllina correcta. Cap. 17.

SIbylla poſtquam terræ imminentes calamitates multis carminibus prædixit, tandem ad piorum felicitatem progreſſa, nihil eis obſtiturum promittit, quo minus in perpetua uiuant lætitia, cum Deũ habeant protectorem. ait itaq;,

αὐτὸς γὰρ σκεπαστὴς μόνος μεγάλως τε παραστάς.

quo in uerſu quanquam nihil prima fronte uidetur etiam delicatis auribus reſponſare, *τὸ μόνος* tamen mihi quidem non placet admodum, atq; pro hoc malim *μέγας* ſubſtitui. Cum enim Homerus multis in locis, ut apertè conſtat, Sibyllam ſit imitatus, eiusq; hemiſtichia multa poeſi ſuæ inſeruerit: nec ignoret quiſquam, *μέγας* & *μεγάλως* ab eo ſæpe coniungi: dubium nemini uideri debet, quin ex eo Sibyllæ carmen hoc, ut & alia multa ex alijs Homeri locis, confidenter poſsit reſtitui. Iam lib. quinto Lyciam ſic alloquitur:

αἲ αἲ σοι λυκίη, ὅσα σοι κακὰ μηχανᾶται
πάντας ἐπ᾽ αὐτὸ μίτους ἐπιβὰς χώρης ἀλεγεινῆς.

Horum carminũ poſterius ſic emendo,

πόντος ἀπ᾽ αὐτομάτου ἐπιβὰς χ. α.

Confirmant hoc, ut omittam alia, *νάματα πικρὰ*, de quibus in ſequentibus agit. Nec ego hæc iam annotanda duxiſſem, niſi qui-

dam

dam uir doctiſsimus, cum quo hæc & ſimilia plura communicarã olim, ut aliquando cum ſuis in lucem ederet, nuper nobis diuina prouidentia ereptus, expectationẽ ſecũ noſtram ſimul abſtuliſſet.

Quid ſit apud Ciceronẽ Leonaticum delubrum, explicatum. Cap.18.

LIb. de Natura deor. tertio, poſtquam Codri & Erechthei meminit, hæc ſubiungit: *itemq; Leonaticum eſt delubrum Athenis quod Leocorion nominatur.* Ac Leocorion quidem unde ſit dictum, permulti ſciunt: de Leonatico autẽ quid ſibi uelit, ignorant pleriq;. Illud interim dubium non eſt, quin eôdem utrunq; referatur, & ab eodem dicatur homine, Leone uidelicet, qui fuit unus τ̃ ἐπωνύμων, teſte Pauſan. & oraculo motus, filias ſuas pro patria immolauit. cuius hiſtoriæ, ſicut & ipſius delubri, meminit etiam Ariſtides Panathenaica, quanquã corrupto nomine. Ceterùm dum rem diutius mecum perpendo, cogitare tandem cœpi, an pro *Leonaticum* commodius legi poſſet Leontium, uel ſaltem Leonticum. Plutarchus certè Timoleontij meminit gymnaſij, quod in honorem Timoleontis extruxerint Syracuſani. Vtut eſt, aliquis latet error, ut ille ait. Atq; ego quidem μεθῆκα τόξα cum Tragico, ſin aliquis hac reprehenſa, me

liorem proferat lectionem, gratiam inibit maximam.

Euripidis locus, & alter Plutarchi, ac tertius Pollucis emendatus. Cap. 19.

POſtrema Euripidis Ione Minerua tanquam θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, longius ſerpenti contentioni finẽ impoſitura, poſtquam ueros Ionis parẽtes detexit: futura deinde more diuino prædicit, & Ionis fore quatuor filios inquit, qui totidem Athenienſium tribubus nomen eſſent daturi, atque ἐπώνυμοι (ſic enim uocabantur) futuri. Eos autẽ enumerans ait,

πλέων μὲν ἔσαι πρῶτος, εἶτα δεύτερος,
ὃ παῦτες ἀργολῆς τ' ἐμῆς ἀπ' αἰγίδος
ἔμφυλον ἕξουσ' αἰγικορεῖς,——

quem locum alij ut corruptũ omiſerunt: alij ſic interpretati ſunt, ut, quod Lycophroni poetæ ſuus interpres impudenter & falſo, id his contrà Euripides iure ac uerè poſsit obijcere. Vt igitur huic auxilio ſimus, ſciendum eſt, quatuor Ionis filiorum, γελέοντος, αἰγικόρεος, ἀργάδεω, & ὅπλητος (ſic eos nominat Herodotus Terpſichore) heic eſſe corrupta nomina, ac pro πλέων primùm eſſe ſcribendum γελέων, qui fuerit Ionis primogenitus. Vnde & Plutarchus in Solone corrigendus uenit, cum de tribubus his loquitur: & ubi legitur (tędet enim totum locum deſcri-

deſcribere) δυοῖν δὲ τῶν λοιπῶν γε δέοντας μὲν σὺν γεωργοὺς, ſcribendum λοιπῶν γελέοντας. Iam in Eurip. uerſibus reliqua ſic emendo,

——εἶτα δ' ὕστερον

ὁπλῆτες, ἀργάδεις, ἐμῆς τ' ἀπ' αἰγίδος ἔμφυλον.

Secundũ, inquit, filiũ ὁπλῆτες ſeu ὁπλῖται, tertium ἀργάδεις ſeu ἐργάδεις, quartum αἰγικορεῖς tribulem habebunt ſuum. Quod autem numerorum poſteriorum nomẽ omittitur, poetico fit more: niſi quis aliquid è contextu intercidiſſe dicat, quod etiã alibi factum nouimus. Ceterùm quod ait, ἐμῆς ἀπ' αἰγίδος, non à capris Mineruа uult, ſed ab ægide ſuà αἰγικορεῖς denominari. Sed quid ſi etiã Pollucem eadẽ emendemus opera, qui cum lib. 8 ſub cap. περὶ φυλάρχων, uaria tribuum recenſet nomina, poſtquàm ad has deuenit, corruptiſsimè legitur: ἀπὸ δὲ τῶν ἴωνος παίδων (μετωνομάσθησαν αἱ φυλαί, dixerat) ἐπὶ ἐρεχθέως τε ἐ λέοντος, ὁπλῖται, αἰγικόρεις, κάδεις. uera autem lectio ſit hæc, ἐπὶ ἐρεχθέως γελέοντες, ὁπλῖται, αἰγικόρεις, ἀργάδεις.

Horatij epodi duæ ex antiquis codicibus reſtitutæ. Cap. 20.

EPodo prima cauſam reddẽs Horatius, quare in militiam cum Mæcenate proficiſci uelit, omnem à ſe auaritiæ & ambitionis ſuſpicionem in primis rejicit. ait ergo,

Non ut iuuencis illigata pluribus

Aratra

Aratra nitantur meis.

quod poſterius in antiquo codice melius, ut credo, aliter certe legebatur, Aratra nitantur mea. Eiuſdem fere generis eſt, quod oda 12. legitur;

Munera cur mihi, quidue tabellas
Mittis nec firmo iuueni, neq; naris obeſæ?

Nam & heic duo manuſcripti cõcinnius atq; elegantius habebant, Munera quid mihi. Similiter ad Celſum cum ſic legatur;

Vt placeat iuueni, percontare, atq; cohorti:

manuſcriptus habet, utq; cohorti. Sed nec eiuſdẽ odæ finis omni mendo uacat. Nã pro eo quod uulgò legitur, *O ego nõ felix:* in ſcripto altero legebatur, O ego infelix. quã equidem ueram ſcripturam à ſciolis quibuſdam poſtea corruptam exiſtimo fuiſſe, qui tamẽ præclare ſibi hac ratione Horatiano honori, cum poeticam licentiam ignorarent, cõſulere uiderentur. Eodem namq; modo & uocem *impiger* in Non piger, & *Inauſpicatos*, in Nõ auſpicatos, & alias alibi pari audacia & imperitia mutarant.

Duo de teſſeris loca declarata.

Cap.21.

SOlebant olim Cæſares Romani, cum ludos darent, tũ alia publice in populum effundere miſsilia, tum teſſeras quaſdam ligneas proijcere, quæ uel frumenti, uel precio-

ſorum

ſorum uaſorũ, uel equorum, uel ſeruorum uel ueſtimentorum haberẽt nomen inſcriptum: ſicut, quãcunq; quis harũ nactus eſſet, ea ad certos homines relata, quod erat inſcriptum, dono acciperet. Atq; huc uidetur uates Apocalypticus reſpexiſſe, cũ ad Pergamenſis eccleſiæ genium ſic in fine ſcribit: τῷ νικῶντι δώσω φαγεῖν ἀπὸ τοῦ μάννα τοῦ κεκρυμμένου, καὶ δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον. Nam ψῆφον heic ſeu calculum uocat, quam antè teſſeram dicebamus. Quod enim heic alij cõminiſcuntur, ſatis eſt (uerum ut fatear) ineptum. οὐ γὰρ πρό γε τῆς ἀληθείας τιμητέος ἀνήρ, inquit Plato. Ac ſimiliter Ariſtides orator ab Aeſculapio ſe teſſeras accepiſſe quodam in loco fatetur: quod etiam huc pertinet.

Aliquot è Non. Marcello menda ſublata. Cap. 22.

PRodijt his diebus poſt lõgam expectationem Nonius Marcellus, grammaticus inſignis, à doctiſsimo uiro A. Iunio, multis in locis partim antiqui exemplaris ope, partim ingenij non uulgaris induſtria diligentiſsimè caſtigatus & reſtitutus. Eum dum obiter percurro, quędã ſum uiſus (quę illum fortaſſe maioribus intentum annotare piguit) animaduertere priorum librariorum uicia. Nos autem quoniam ſolito more

rudiorum

rudiorum ſtudemus cõmodo, quod ille merito neglexit, breuiter colligere nõ dedignabimur. Ac primùm in Parochus ait, *hoc ſchemate enim Græcè, Latinè uehicula appellãtur,* pro *hoc ſchemate* lego ὀχήματα. Mox in Præſepia Varronis habentur hi uerſus:

Si quis melodinis tonos lyras præſepibus ſe retineat forenſibus.

hos ego ſic legerim,

Si quis μελῳδεῖν * ἐς' ὄνος λύρας,
Præſepibus ſe retineat forenſibus.

Iam in Lupari legitur uerſus Lucilij,

——*fas ſi placeat, tu impune ſuperbis.*

quod poſtre..um in Luparis mutandum cenſeo, ſcripturæq; uicio corruptum fuiſſe iudico. In Nænia Varronis uerba ſunt: *Ibi à muliere, quæ obtutũ à uoce eſſet, perquàm laudari:* ego malim, quæ optuma uoce eſſet. At in Pondo ſunt eiuſdem hæc: *Græci enim herona mole dixerunt.* ſic enim habet antiquũ exemplar: cuius ego ſecutus ueſtigia, λίθων à mole, propè legendum contenderim. In Obſequium Turpilius ait, *Neq; offerre hunc diutius errare, & conqueri, neceſſe ſuæ obſequelæ.* Verùm ita legendum eſt: Nequeo ferre hunc diutius errare; & conqueri, nec eſſe ſuæ obſequelæ. Mox in Oues inquit Varro, *Vt etiam putantibus, qui oues duos, non duas, dicunt, Homerum ſecutos.* Nos ita legimus: Vt & apud

apud antiquos, qui. atq; huc pertinet uocabulum *ſecutos*. Sed hanc emendationem, pace doctiſſ. correctoris factam cupio. Iam in Textus, carmen hoc eſt Accij:

Scendit horà laterum texta Vulcani uorax:

quod ita reſtituendum iudico,

Scandit ira laterum texta V. u.

Vocat autem iram Vulcani, quod Græci μένῳ ἡφαίςοιο: de quo nos alibi nonnihil diximus. Neq; etiam Creticus grauatim recipi debet. In Aptum ait Cicero, *Eademq; obiectum uiuo, atq; umbram noctemq; efficiat, cum ad numerum dierum aptum ad laborũ quietẽ*. quæ uerba ſic auſim propemodũ corrigere: Eademq; obiectu ſui corporis umbram, noctemq; efficiat, cùm ad numerũ dierum aptam, tum ad laborum quietem. Loquitur autem de terra. Eiuſdem ſequuntur ex Hortenſio uerba: *Altera eſt nexa cum ſuperiorẽ, & inde apteq; pendens.* ſed, apte dependens, legerim. In Legere, Turpilij uerſus eſt:

Qua cum ætâs uegenda, & iubendum eſſet tibi.

ego ſic lego: Et uiuendum eſſet tibi. Paulò pòſt in Lentum ait Cicero, *Marcellus ut tacet pugnax, maximus ut conſideratus, ut lentus.* At quis non uideat heic legendum, Marcellus ut acer & pugnax, Maximus ut conſideratus & lentus. In Pullum Varronis legitur carmen,

Vbi nitide Phœbi ueſte pulla candidi.

Quid ſi legamus, Vbi nunc ephebi. ſic enim demum poſsit uerſus reſtitui. In Subnixum, ex Annalib. habetur, *Subnixo animo, & uictoria inerti conſilium ineunt.* Ego, uictoriæ certi, crediderim reponendum. In Quærere, Afranius,

Proin tutum quæram, ne requiram te, uide.

Legendum, Pro in tu, cum quęram. quęquam quis hoc nõ uiderit? In Cratera, Varronis hæc ſunt: *Ad Sybaritanam prædã, in qua ſunt tripodes, crateræ, anaucea populo nobiliũ Tarentinarum.* pro *anaucea* lego Anancæa, quibus etiam Plautus utitur. Quin etiam pro *populo* poſſet alicui Pocula ſcribendum uideri. Denique *Venabulum,* inquit, *uenantium telum longiſsimum à ceteris aciei longiſsimæ.* Forte pro *à ceteris,* legi poſſet Ac teres. Atq; hęc à nobis in hunc autorem, ut pro re pauca atque leuia, ita pro noſtro ingeniolo multa magnaq; collata ſunto.

Heſiodi carmen emendatum.

Cap. 23.

QVod olim dixerã, fieri nonnũquam, ut coniecturæ à doctis quondã factæ poſt aliquod tempus librorum ſcriptorum teſtimonio confirmentur: id mihi nũc, hæc ſcripturus cum eſſem, in mentem redibat. Nam Heſiodi præceptum illud,

πὰρ δ' ἴθι χάλκειον θῶκον, καὶ ἐπ' ἀλέα λέσχην
ὥρῃ χειμερίῃ——

rectè mendoſum propter ἐπ' ἀλέα fuit à doctioribus habitum, donec à quodã tandem è duabus uocibus eſt una facta, legendumq́ ἐπαλέα affirmatum. Quæ coniectura ſicut mihi ſemper eſt uiſa certiſsima, ſic aliquot pòſt annis ab humaniſſ. doctiſſ. que uiro, Theodorico Lãgio, ſcriptum codicem Heſiodi nactus, eandem ſcripturã apertè manifeſteq; expreſſam reperi. Addebatur etiam expoſitio, quę ἐπαλέα λέσχην doceret eſſe θερμὴν φλυαρίαν. Atq; ut hoc eſt hibernum, ſic ut loquar, præceptum, ſic alterum ſequitur huic oppoſitum æſtiuum:

φεύγειν δὲ σκιεροὺς θώκους, καὶ ἐπ' ἠῶ κοῖτον
ὥρῃ ἐν ἀμήτου.

Quapropter oratos uelim eos qui coniecturis doctorum ſunt iniquiores, ut hoc exemplo moti, aliquantum de ſua patiantur opinione decedere.

Auſonij quædam reſtituta.
Cap. 24.

EX Auſonio quidam hac ætate mendas aliquot tollere ſunt dignati: nec id fecerunt infeliciter, meo quidem iudicio. Itaq; nos illorum ſequentes ueſtigia, caput hoc eidem tribuemus poetæ. Primùm in epigr. 21. ait:

num feliciſsimè expreſsit. Ac primùm dormiens introducitur Vlyſſes extremo quinto Odyſſeæ, cum in Phæaciam nudus enataſſet, & à Minerua conſopitus eſſet. quo in loco ſuauiſsima eſt hæc Homeri cõparatio:

ὡς δ' ὅτε τις δαλὸν σποδιῇ ἐνέκρυψε μελαίνῃ,
σπέρμα πυρὸς σώζων, ἵνα μή ποθεν ἄλλοθεν αὔοι,
ὣς ὀδυσεὺς φύλλοισι καλύψατο, τῷ δ' ἄρ' ἀθήνη
ὕπνον ἐπ' ὄμμασι χεῦ', ἵνα μιν παύσειε τάχιστα
δυσπονέος καμάτοιο φίλα βλέφαρ' ἀμφικαλύψας.

Iterum autem dormit, dum à Phæacibus in patriam per mare deducitur. ſic enim requirebat allegoriæ ſeries. Nam quæ interijciuntur inter utrunque ſomnum, ad ſepulcrũ & funus pertinent, ita ut continuum intelligamus re uera ſomnũ fuiſſe. Phæaces enim intelliguntur οἱ φαιοὶ, ſiue pullati, qui poſt funebrem cenam, & epitaphium ſermonem quatuor libris habitum, funus deducunt. Quin & nauis, quoniam pro ſepulcrò fuit, in ſaxum denique mutatur. Nam, ut & hoc obiter adijciamus, inter Corcyram & Ithacam iacet Samos, quæ eſt σῆμα ſeu tumulus. Sequitur Aſteris inſula, quam Stellatam licet dicere, per quã ad Ithacam eſt iter: quæ, uti diximus, felicitas eſt, & beata uita. Veruntamen hac potiri commodè non poteſt Vlyſſes, antequam procos arcu uincat, & ſimul

mul cum ancillis de medio tollat. Qui etenim perturbationibus animi & cupiditatibus, fruſtra felicitatem ambientibus, imperare non poteſt, is nequit beatitudinis particeps fieri. Quibus ita declaratis, nemini poſthac mirum uideri debet, cur Vlyſſem Homerus, cæleſtis patriæ iamiam compotẽ futurũ, dormire ſeu mori faciat. Hæc aũt ex cuius ingenio prodierint, ſi quis requirat, I. Auratum, maximum ſanè uirum, unicum & optimum Homeri interpretem, autorem laudabo.

Platonis in Gorgia locus caſtigatus.
Cap. 15.

INter ceteros Platonis dialogos extat quidam, cui Gorgias nomen dedit: in quo Socrates inducitur Rhetoricam & eloquentiam ita deprimens, & ex omni honeſto eijciens loco, ut eam in adulationis parte ponat: & cum ſophiſtica, coquendi, comendíq́ artibus comparet. Nam cum duas feciſſet rerum duarũ, animi atq́ corporis, artes: alteram ciuilem, alterã quæ partes haberet duas, Gymnaſticen & Medicinam, quemadmodum & illi ſubiectæ eſſent ars legum ferendarum, & ars iudicandi: harum ſingulas ait ſimulantem adulandi artem, quadrifariam ſe diuiſiſſe: ac Medicinæ coquendi artem, Gymnaſticæ artem comendi, arti legũ

ferendarũ Sophiſticam, iuris dicendi Rhetoricam ſuppoſuiſſe. Ac de prioribus quidẽ duabus hæc ſunt eius uerba: τῇ μὲν οὖν ἰατρικῇ ἡ ὀψοποιικὴ κολακεία ὑπόκειται, τῇ δὲ γυμναστικῇ κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον τοῦτον ἡ κομμωτική, κακοῦργός τε οὖσα καὶ ἀπατηλὴ καὶ ἀγεννὴς καὶ ἀνελεύθερος, σχήμασί τε καὶ χρώμασι καὶ λειότητι καὶ αἰσθήσει ἀπατῶσα, &c. In ijs igitur, quibus homines poſsint ſe comere, ponit figuras, colores, ac læuitatem. ſed quod adijcit poſtremò, ſenſum, id proculdubio mendo non caret. Quid enim ſenſus ad comtum plus, quàm ad alia, confert? Quinimò pro αἰσθήσει audacter equidem ἐσθῆσι legerim. Veſtes enim uel maximè comtos nos & ornatos reddunt. Neq; aliter qui apud Artemidorum legitur lib. 4. titulus περὶ ἀκινήτων αἰσθητικῶν, corrigendus uenit, ac legendum ἐσθήτων. Quanquam enim hoc leue eſt, ſimilitudinis tamen gratia addendum cenſui.

Propertij carmina duo reſtituta.

Cap. 16.

LYnceum poetã iubet lib. ſecundo Propertius, quoniã ſit amore captus, omiſſis grauioribus poematum generibus, ut Heracleide, Thebaide, alijs, ad leuiora ſe transferre, & Philetam atq; Callimachum ſtudere imitari. Sic igitur ait inter cetera,

Nam rurſus licet Aetoli referas Acheloi

Fluxerit

Fluxerit ut magno factus amore liquor, &c. quibus uerſibus cum non uulgaris menda ſubſit, quam tamẽ adhuc nemo, quod ſciam, animaduertit: eius eluendæ iampridem ueniſſe diem arbitror. Itaq; pro *factus* legendum eſt Fractus: ut ex hiſtoria Acheloi, & eius cũ Hercule luctę fit perſpicuum. Quod enim heic fractus dicitur, id de cornu duntaxat altero intelligitur, quod ipſi Hercules in taurũ mutato confregit, cum Deianiram uterq; ſibi uindicare ſtuderet. Aliter autem de ſeipſo dicit Poeta lib. tertio,

Seu moriar, fato, non turpi fractus amore.

Ceterùm paulo poſt eos, quos iam corrigebam, uerſus hi duo ſubiunguntur,

Sed non antè grauis taurus ſuccumbit aratro,
Cornua quàm ualidis hæſerit in laqueis.

in quibus item uerbum unum non ſatis integrè poſitum, eodem tenore, ut aiunt, reſtituetur. nam poſteriorem uerſum ſic lego,

Cornua quàm ualidis læſerit in laqueis.

Nec aliter eſt emendandum, quod in fine Dirarum legitur,

Et mecum tenera gauiſa eſt ludere in herba,
Purpureos flores.——

Nam & heic Lædere ſcribendum, pro *ludere*, alioqui flores quorſum pertinebunt?

Oracula duo Sibyllina correcta.
Cap. 17.

SIbylla poſtquam terræ imminentes calamitates multis carminibus prædixit, tandem ad piorum felicitatem progreſſa, nihil eis obſtiturum promittit, quo minus in perpetua uiuant lætitia, cum Deũ habeant protectorem. ait itaq;,

αὐτὸς γὰρ σκεπάστε μόνος μεγάλως τε παραστάς.

quo in uerſu quanquam nihil prima fronte uidetur etiam delicatis auribus reſponſare, τὸ μόνος tamen mihi quidem non placet admodum, atq; pro hoc malim μέγας ſubſtitui. Cum enim Homerus multis in locis, ut apertè conſtat, Sibyllam ſit imitatus, eiusq; hemiſtichia multa poeſi ſuæ inſeruerit: nec ignoret quiſquam, μέγας & μεγάλως ab eo ſæpe coniungi: dubium nemini uideri debet, quin ex eo Sibyllæ carmen hoc, ut & alia multa ex alijs Homeri locis, confidenter poſsit reſtitui. Iam lib. quinto Lyciam ſic alloquitur:

αἲ αἲ σοὶ λυκίη, ὅσα σοι κακὰ μηχανᾶται
πάντας ἐπ' αὐτὸ μίτους ἐπιβὰς χώρης ἀλεγεινῆς.

Horum carminũ poſterius ſic emendo,

πόντος ἀπ' αὐτομάτου ἐπιβὰς χ.α.

Confirmant hoc, ut omittam alia, νάματα πικρά, de quibus in ſequentibus agit. Nec ego hæc iam annotanda duxiſſem, niſi qui-

dam

dam uir doctiſsimus, cum quo hæc & ſimilia plura communicarã olim, ut aliquando cum ſuis in lucem ederet, nuper nobis diuina prouidentia ereptus, expectationẽ ſecũ noſtram ſimul abſtuliſſet.

Quid ſit apud Ciceronẽ Leonaticum delubrum, explicatum. Cap.18.

LIb. de Natura deor. tertio, poſtquam Codri & Erechthei meminit, hæc ſubiungit: *itemq; Leonaticum eſt delubrum Athenis quod Leocorion nominatur.* Ac Leocorion quidem unde ſit dictum, permulti ſciunt: de Leonatico autẽ quid ſibi uelit, ignorant pleriq;. Illud interim dubium non eſt, quin eôdem utrunq; referatur, & ab eodem dicatur homine, Leone uidelicet, qui fuit unus τ̃ ἐπωνύμων, teſte Pauſan. & oraculo motus, filias ſuas pro patria immolauit. cuius hiſtoriæ, ſicut & ipſius delubri, meminit etiam Ariſtides Panathenaica, quanquã corrupto nomine. Ceterùm dum rem diutius mecum perpendo, cógitare tandem cœpi, an pro *Leonaticum* commodius legi poſſet Leontium, uel ſaltem Leonticum. Plutarchus certè Timoleontij meminit gymnaſij, quod in honorem Timoleontis extruxerint Syracuſani. Vtut eſt, aliquis latet error, ut ille ait. Atq; ego quidem μεθῆκα τόξα cum Tragico, ſin aliquis hac reprehenſa, me liorem

deſcribere) δυοῖν δὲ τῶν λοιπῶν γε δέοντας μὲν σὺν γεωργοῖς, ſcribendum λοιπῶν γελέοντας. Iam in Eurip. uerſibus reliqua ſic emendo,

——εἶτα δ᾽ ὕστερον

ὁπλῆτες, ἀργάδεις, ἐμῆς τ᾽ ἀπ᾽ αἰγίδος ἔμφυλον.

Secundũ, inquit, filiũ ὁπλῆτες ſeu ὁπλῖται, tertium ἀργάδεις ſeu ἐργάδεις, quartum αἰγικορεῖς tribulem habebunt ſuum. Quod autem numerorum poſteriorum nomẽ omittitur, poetico fit more: niſi quis aliquid è contextu intercidiſſe dicat, quod etiã alibi factum nouimus. Ceterùm quod ait, ἐμῆς ἀπ᾽ αἰγίδος, nón à capris Minerua uult, ſed ab ægide ſuà αἰγικορεῖς denominari. Sed quid ſi etiã Pollucem eadẽ emendemus opera, qui cum lib. 8 ſub cap. περὶ τριφυλάρχων, uaria tribuum recenſet nomina, poſtquàm ad has deuenit, corruptiſsimè legitur: ἀπὸ δὲ τοῦ ἴωνος παίδων (μετ]ωνομάσθησαν αἱ φυλαί, dixerat) ἐπὶ ἐρεχθέως τε ἐκ λέοντος, ὁπλῖται, αἰγικόρεις, κάδεις. uera autem lectio ſit hæc, ἐπὶ ἐρεχθέως γελέοντες, ὁπλῖται, αἰγικόρεις, ἀργάδεις.

Horatij epodi duæ ex antiquis codicibus reſtitutæ. Cap. 20.

EPodo prima cauſam reddẽs Horatius, quàre in militiam cum Mæcenate proficiſci uelit, omnem à ſe àuaritiæ & ambitionis ſuſpicionem in primis reijcit. ait ergo,

Non ut iuuencis illigata pluribus

Aratra

Aratra nitantur meis.

quod poſterius in antiquo codice melius, ut credo, aliter certè legebatur, Aratra nitantur mea. Eiuſdem ferè generis eſt, quod oda 12. legitur,

Munera cur mihi, quidúe tabellas
Mittis nec firmo iuueni, neq; naris obeſæ?

Nam & heic duo manuſcripti cōcinnius atq; elegantius habebant, Munera quid mihi. Similiter ad Celſum cum ſic legatur;

Vt placeat iuueni, percontare, atq; cohorti:

manuſcriptus habet, utq; cohorti. Sed nec eiuſdē odæ finis omni mendo uacat. Nā proco quod uulgò legitur, *O ègo nō felix:* in ſcripto altero legebatur, O ègo infelix. quā equidem ueram ſcripturam à ſciolis quibuſdam poſtea corruptam exiſtimo fuiſſe, qui tamē præclarè ſibi hac ratione Horatiano honori, cum poeticam licentiam ignorarent, conſulere uiderentur. Eodem namq; modo & uocem *impiger* in Non piger, & *Inauſpicatos*, in Nō auſpicatos, & alias alibi pari audacia & imperitia mutarant.

Duo de teſſeris loca declarata.

Cap. 21.

SOlebant olim Cæſares Romani, cum ludos darent, tū alia publicè in populum effundere miſsilia, tum teſſeras quaſdam ligneas proijcere, quæ uel frumenti, uel precio-

ſorum

ſorum uaſorũ, uel equorum, uel ſeruorum uel ueſtimentorum haberẽt nomen inſcriptum: ſicut, quãcunq; quis harũ nactus eſſet, ea ad certos homines relata, quod erat inſcriptum, dono acciperet. Atq; huc uidetur uates Apocalypticus reſpexiſſe, cũ ad Pergamenſis eccleſiæ genium ſic in fine ſcribit: τῷ νικῶντι δώσω φαγεῖν ἀπὸ τοῦ μάννα τοῦ κεκρυμμένου, καὶ δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον. Nam ψῆφον heic ſeu calculum uocat, quam antè teſſeram dicebamus. Quod enim heic alij cõminiſcuntur, ſatis eſt (uerum ut fatear) ineptum. οὐ γὰρ πρό γε τῆς ἀληθείας τιμητέος ἀνὴρ, inquit Plato. Ac ſimiliter Ariſtides. orator ab Aeſculapio ſe teſſeras accepiſſe quodam in loco fatetur: quod etiam huc pertinet.

Aliquot è Non. Marcello menda ſublata. Cap. 22.

PRodijt his diebus poſt lõgam expectationem Nonius Marcellus, grammaticus inſignis, à doctiſsimo uiro A. Iunio, multis in locis partim antiqui exemplaris ope, partim ingenij non uulgaris induſtria diligentiſsimè caſtigatus & reſtitutus. Eum dum obiter percurro, quędã ſum uiſus (quę illum fortaſſe maioribus intentum annotare piguit) animaduertere priorum librariorum uicia. Nos autem quoniam ſolito more

rudiorum

rudiorum ſtudemus cõmodo, quod ille merito neglexit, breuiter colligere nõ dedignabimur. Ac primùm in Parochus ait, *hoc ſchemate enim Græcè, Latinè uehicula appellãtur*, pro *hoc ſchemate* lego ὀχήματα. Mox in Præſepia Varronis habentur hi uerſus:

Si quis melodinis tonos lyras præſepibus ſe retineat forenſibus.

hos ego ſic legerim,

Si quis μελῳδεῖν * ἐϛ' ὄνος λύρας,
Præſepibus ſe retineat forenſibus.

Iam in Lupari legitur uerſus Lucilij,

—*fas ſi placeat, tu impune ſuperbis.*

quod poſtre .eum in Luparis mutandum cenſeo, ſcripturæq́ uicio corruptum fuiſſe iudico. In Nænia Varronis uerba ſunt: *Ibi à muliere, quæ obtutũ à uoce eſſet, perquàm laudari.* ego malim, quæ optuma uoce eſſet. At in Pondo ſunt eiuſdem hæc: *Græci enim herona mole dixerunt.* ſic enim habet antiquũ exemplar: cuius, ego ſecutus ueſtigia, λίτραν à mole, propè legendum contenderim. In Obſequium Turpilius ait, *Neq; offerre hunc diutius errare, & conqueri, neceſſe ſuæ obſequelæ.* Verùm ita legendum eſt: Nequeo ferre hunc diutius errare, & conqueri, nec eſſe ſuæ obſequelæ. Mox in Oues inquit Varro, *Vt etiam putantibus, qui oues duos, non duas, dicunt, Homerum ſecutos.* Nos ita legimus: Vt & apud

apud antiquos, qui.atq; huc pertinet uocabulum *ſecutos*. Sed hanc emendationem, pace doctiſſ. correctoris factam cupio. Iam in Textus, carmen hoc eſt Accij:

Scendit horà laterum texta Vulcani uorax:

quod ita reſtituendum iudico,

Scandit ira laterum texta V.u.

Vocat autem iram Vulcani, quod Græci μένος ἡφαίστοιο: de quo nos alibi nonnihil diximus. Neq; etiam Creticus grauatim recipi debet. In Aptum ait Cicero, *Eademq; obiectum uiuo, atq; umbram noctemq; efficiat, cum ad numerum dierum aptum ad laborũ quietẽ.* quæ uerba ſic auſim propemodũ corrigere: Eademq; obiectu ſui corporis umbram, noctemq; efficiat, cùm ad numerũ dierum aptam, tum ad laborum quietem. Loquitur autem de terra. Eiuſdem ſequuntur ex Hortenſio uerba: *Altera eſt nexa cum ſuperiorè, & inde apteq; pendens.* ſed, apte dependens, legerim. In Legere, Turpilij uerſus eſt:

Qua cum ætàs uegenda, & iubendum eſſe tibi.

ego ſic lego: Et uiuendum eſſet tibi. Paulò pòſt in Lentum ait Cicero, *Marcellus ut taceret pugnax, maximus ut conſideratus, ut lentus.* At quis non uideat heic legendum, Marcellus ut acer & pugnax, Maximus ut conſideratus & lentus. In Pullum Varronis legitur carmen,

Vbinitide Phœbi ueſtepulla candidi.

Quid ſi legamus, Vbi nunc ephebi. ſic enim demum poſsit uerſus reſtitui. In Subnixum, ex Annalib. habetur, *Subnixo animo, & uictoria inerti conſilium ineunt.* Ego, uictoriæ certi, crediderim reponendum. In Quærere, Afranius,

Proin tutum quæram, ne requiram te, uide.

Legendum, Pro in tu, cum quęram. quęquam quis hoc nō uiderit? In Cratera, Varronis hæc ſunt: *Ad Sybaritanam prædā, in qua ſunt tripodes, crateræ, anaucea populo nobiliū Tarentinarum.* pro *anaucea* lego Anancæa, quibus etiam Plautus utitur. Quin etiam pro *populo* poſſet alicui Pocula ſcribendum uideri. Denique *Venabulum*, inquit, *uenantium telum longiſſimum à ceteris aciei longiſſimæ.* Forte pro *à ceteris*, legi poſſet Ac teres. Atq; hęc à nobis in hunc autorem, ut pro re pauca atque leuia, ita pro noſtro ingeniolo multa magnaq; collata ſunto.

Heſiodi carmen emendatum.

Cap. 23.

QVod olim dixerā, fieri nonnūquam, ut coniecturæ à doctis quondā factæ poſt aliquod tempus librorum ſcriptorum teſtimonio confirmentur: id mihi nūc, hæc ſcripturus cum eſſem, in mentem redibat. Nam Heſiodi præceptum illud,

πύρ

πὰρ δ' ἴθι χάλκειον θῶκον, καὶ ἐπ' ἀλέα λέσχην
ὥρῃ χειμερίῃ——

rectè mendoſum propter ἐπ' ἀλέα fuit à doctioribus habitum, donec à quodã tandem è duabus uocibus eſt una facta, legendumq́ue ἐπαλέα affirmatum. Quæ coniectura ſicut mihi ſemper eſt uiſa certiſsima, ſic aliquot poſt annis ab humaniſſ. doctiſſ. que uiro, Theodorico Lãgio, ſcriptum codicem Heſiodi nactus, eandem ſcripturã apertè manifeſteq́ue expreſſam reperi. Addebatur etiam expoſitio, quę ἐπαλέα λέσχην doceret eſſe θερμὴν φλυαρίαν. Atq; ut hoc eſt hibernum, ſic ut loquar, præceptum, ſic alterum ſequitur huic oppoſitum æſtiuum:

φεύγειν δὲ σκιεροὺς θώκους, καὶ ἐπ' ἠῶ κοῖτον
ὥρῃ ἐν ἀμητοῦ.

Quapropter oratos uelim eos qui coniecturis doctorum ſunt iniquiores, ut hoc exemplo moti, aliquantum de ſua patiantur opinione decedere.

Auſonij quædam reſtituta.

Cap.24.

EX Auſonio quidam hac ætate mendas aliquot tollere ſunt dignati: nec id fecerunt infeliciter, meo quidem iudicio. Itaq; nos illorum ſequentes ueſtigia, caput hoc eidem tribuemus poetæ. Primùm in epigr. 21. ait:

Idmona quòd uatem, medicum quòd Iapida dicunt:
Diſcendas artes nomina præueniunt.

Heic pro Iapida, ſcribo Iaſida. Sic enim Iaſo quoq; & Panacea cum Aſclepiadis coniunguntur: Quemadmodum igitur uatem ſcientia, medicum arte ſanandi oportet præſtare: ſic illum Idmona, hunc Iaſidem dicũt. Fuit etiam Idmon uates inter Argonautas, ut & Iapis in Virg. medicus, ut & hoc addã. Iam in carminibus de literis Græcis ac Latinis lego,

Non formam, at uocem Deltæ gero Romuleum D.

Vulgò legitur, *aut*. Contrà in Plauti Caſina legendum,

Aut quod ego unquam erga Venerem iniquè fecerim:

non *At*. Parentalibus deinde nonis cum ait,

Vota probant ſuperi, meritisq; fauentia ſanctis
Implent fata, uiri quod uoluêre boni:

pulcrè explicat Catulli uerſum in carmine nuptiali,

Quòd pepigere uiri, pepigerunt antè parentes.

quod ideo dico, quia uerſum hunc doctiſsimus Muretus ſuſpectum habet. In Iambicò ad Theonem ſcribit:

Vale beatum nomen à diuis Theon:
Methodus ſed iſta ſæpe currente indicat.

Poſterius hoc ſic legebat ingenioſiſsimus

uir,

uir, I. Auratus:

Metoche ſed iſta ſæpe currentem indicat.

Nam Græca participatio à currendi uocabulo ducta, ijſdem ſcribitur literis, quibus gignēdi caſus in deis uſurpatur. In uerſibus de ratione Libræ ſcribo,

Vnde uigor, uireſq́ꝫ: pro, *Vnde uires, uirgoq́ꝫ.*

Deniq́ꝫ in fine libri titulum Monoſtichi ſic lego: Hic uerſus ſine autore eſt, quid cui que demi de corpore oporteat. Vult enim ungues à Mercurio, à Ioue barbam, crines à Venere auferri. Plura quōdam in hunc ſcriptorem annotaram: ſed ab alijs occupata repetere nolo.

Euripidis loci duo, Sophoclis unus caſtigatus. Cap. 25.

APud Eurip. Hecuba cum ex Vlyſſe intellexiſſet, futurū ut Iphigenia ad Achillis ſepulcrū immolaretur: quærit ex eo primùm, cur homines potius, quàm boues, in uictimas deligantur: deinde utrū Achilles, cū cędis autores ſuæ ulciſci uelit, ab Iphigenia, quæ nihil unquam commiſerit mali, iuſtè pœnas expetat. quæ poſtrema ſic Græcè leguntur:

ἢ τοὺς κτανόντας αὐτὸν ἀποκτεῖναι θέλων,
εἰς τήνδ᾽ Ἀχιλλεὺς ἐνδίκως τείνει φόνον;

Sed emendatius legētur, ſi pro τείνει reponatur τίνει, quod eſt multo cōcinnius, & magis

 Atticum,

Atticum. Nam ſic & Eumenides in Oreſte dicuntur *τινύμεναι δίκαν, τινύμεναι φόνον.* Quid quod apud Sophoclē quoq; Oedipo Col. cum dicitur,

ἀρκεῖν γὰρ οἶμαι κἀντὶ μυρίων μίαν
ψυχὴν τάδ᾽ ἐκτείνουσαν——

idem cerni mendum ſuſpicor. Similiter deniq; apud Ariſtidem noſtrum, cum legeretur, *τεῖναι τὴν ἀρὰν τὴν ὁμήρου*, *τῖναι* eſt à me repoſitum. Atq; ut hæc rectè à nobis eſſe correcta cōfidimus, ita contrà ineptiſsimè quidam illud è Bacchis Eurip. *ἀλλ᾽ αἷμα θήσεις*, in *τίσεις* auſi ſunt mutare. Similiter enim in Supplicibus dicitur *θεῖναι φόνον*, quanquam ibi malè *τεῖναι* legitur.

Varro correctus. Cap. 26.

FAbularū in comicis ueteribus indices nō rarò corruptos legi, cùm olim alij, tū nuper clariſsimè uir doctiſsimus, A. Iunius, edito Non. Marcello, demonſtrauit. idē nos ex Varronis de L. L. libris nunc docere conabimur. Quod ait lib. ſexto, cum de temporibus incipit dicere: *quod eſt apud Caſsium, Nocte intempeſta noſtram deuenit domum*: in eo loco Caſsij nomen habeo mendoſum, & Accium prorſus repono. Sunt enim hæc uerba de Bruto Accij, quemadmodum ipſe teſtat̃ initio quinti Varro, niſi quòd ibi quoque Caſsius pro Accius legitur. Sic enim habent

bent uerba: *ut in Bruto Caſſius, quod dicebat Lucretia,*

Nocte intempeſta noſtram deuenit domum.

Siquidem Brutum fabulam ſcripſit Accius, teſte Cic. & hoc eodē lib.4. cum dicit, *unde Accius ait in Bruto, Qui rectè conſulat, conſulſiat.* Verùm de Caſsio nihil tale reperias. Quo fit, ut etiam ſub initium ſexti, ubi legitur, *Quaſi Helleſpontũ & clauſtra*: quoniã illud *Quaſi*, ſic ut loquar, Caſsianum quoq; uidetur, eodē heic modo Accius legēdum penè mihi perſuadeã. Sed hoc an quiſquam ſit crediturus, neſcio, quòd poſt ea quæ primum emendauimus, uerba cum ſcribatur, *Aliquod lumen iubarúe in cælo cerno:* ego pro *Aliquod* ferè dicam legendum, Apud Ennium. Nã & uerſus hic Ennio alibi ab eodem Varr. tribuitur, & *Aliquod* ad carmen pertinere nō uidetur: ut iam taceam, quin poetæ quoddam deſideretur nomē, dubitare poſſe neminem.

Pindari Plutarchiq́; loca correcta.

Cap.27.

PVſillum eſt, quod iam proferam (quanquam id ſæpe facio) tamen quod lectorem non parũ turbare poſsit. Apud Pindarũ Olymp.9. Antiſtrophe tertia ſic incipit,

ἀφίκοντο δ' οἱ ξένοι
ἔκ τ' Ἄργεος ἔκ τε Θη-

βαῦ, οἱ δ' ἄρκαδες, οἱ δὲ καὶ ποιῦται.

qui poſtremus uerſus cùm ſuo pari non reſpondeat in menſura ſic reſtituendus uenit;

βαῦ, ἰδ' ἄρκαδες, οἱ δὲ κ. π.

Sic enim planè geminus erit huic,

ὧν ὁ πρῶντος ἀναρπάσας ἔκαλος.

quæ cum emẽdatio ſcripti codicis antiquiſſimi teſtimonio nitatur, atq; inſuper clariſsimo poetæ opem ferat, non eſt omnino contemnenda. Sed mihi iam pulcerrimæ odæ Sapphonis in mentem uenit, quam nobis Longinus conſeruauit. ad eam Plutarchus tribus in locis alludit: in quorum ſingulis cum nonnihil ſit mendi, id ipſius cantici auxilio conabimur eluere. Ac primùm in lib. *πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος*, hæc leguntur: *νέῳ δ' ἀνδρὶ γενομένῳ προκοπῆς ἀληθοῦς ἐν φιλοσοφίᾳ, τὰ σαπφικὰ ταυτὶ παρέπεται, κατὰ μὲν γλῶσσαν γε λεπτὸν αὐτίκα χρῶ πῦρ ὑποδέδρωμε, καὶ ἀθόρυβον δὲ ὄψιν, καὶ πρᾶον ὄμμα, φθεγγομένου δ' ἀκοῦσαι ποθήσειας.* Nos coniecturam, & Muſæ decimæ uerba ſecuti, ſic legimus: *κατὰ μὲν γλῶσσ' ἔαγε, ἂν δὲ λεπτὸν αὐτίκα χρῶ πῦρ ὑποδεδρόμακε, θόρυβος δὲ ὄψεων, καὶ ἀκοῶν βόμβος, φθεγγομένου δ' ἀκοῦσαι ποθήσεις.* Iam in *ἐρωτικῷ* Plutarchus idem ait, *ἀνάμνησον ἡμᾶς ἐν οἷς ἡ καλὴ σαπφὼ λέγει, τῆς ἐρωμένης ἐπιφανείσης τήν τε φωνὴν ἴσχεσθαι, καὶ φθέγγεσθαι τὸ σῶμα*, &c. heic *φέγγεσθαι* legendum cenſuerim. Alludit enim ad illa

Sappho-

Sapphonis, ἂν δ' ὲ λεπτὸν αὐτίκα χρῶ πῦρ ὑποδεδρόμακεν. id eſt, interprete Catullo,

Tenues ſub artus flamma demanat.

quodq; ibidem paulo pòſt ſequitur de Laide (nã & hæc flãma quaſi permanat) ὡς ὑπέφλεγε πόθῳ τὴν ἑλλάδα: rectius erit ſi legas, ὑπέφλεγε. Poſtremò in Demetrio, cũ de Antiochi morbo loquitur, ait: ἐγίνετο τὰ τῆς σαπφοῦς ἐκεῖνα περὶ αὐτὸν πάντα, φωνῆς ἐπίσχεσις, ἐρύθημα πυρῶδες, ὀψέων ὑποδείξεις, ἱδρῶτες ὀξεῖς. ego conſtãter aſſeuero, ſcribendum ὑπολείψεις. Dixerat enim Sappho, ὀμμάτεσσιν δ' οὐδὲν ὄρημι. quod eſt perſpicuè geminum.

Ciceronis locus, & alter Diod. Siculi emendatus. Cap. 28.

INter ceteros antiquitatis uenuſtæ figulos atq; ſtatuarios, nõ infimus habitus eſt Thericles quidam Corinthius, Rhœci F. cuius meminit lib. 16 Plinius. Thericlea quoq; uaſa atq; pocula celebrat lib. undecimo Athenæus, & apud ueteres in precio fuiſſe demonſtrat. Iam Diod. Siculus extremo lib. primo de Aegyptijs loquens, ſic habet: τῶν τε ἀγαλματοποιῶν παλαιῶν τοὺς μάλιστα διωνομασμένους διατετριφέναι παρ' αὐτοῖς, Τηλεκλέα καὶ Θεόδωρον, τοὺς ῥοίκου μὲν υἱοὺς, &c. quę uerba citans Euſebius lib. 10. Τηρακλέα καὶ Θεόδωρον habet: quæ lectio profectò melior eſt, nondum tamẽ optima, utrobiq; enim legen

 dum

dum aio Θηρικλέα. Sed hæc minoris momē ti. Ceterū Ciceronis hæc ſunt in ſexta Verrina uerba: *Melitēſis Diodorus eſt, qui apud uos antea teſtimonium dixit. is Lilybæi multos iam annos habitat, homo & domi nobilis, & apud eos, quò ſe contulit, propter uirtutē ſplendidus & gratioſus. de hoc Verri dicitur, habere eum perbona toreumata, in his pocula duo quædam, quæ Heraclea nominantur, Mentoris manu ſummo artificio facta.* Heic igitur eodem argumento pro *Heraclea* confidenter affirmo Thericlea ſcribendum: cum uox ea propter uicinitatem in ſpuriam degenerarit. Quis enim Heraclea uidit unquam pocula? quis Thericlea, qui uel Athenęū legerit, ignorat?

Euripides in Cyclope & Heraclidis emaculatus. *Cap.29.*

CVm in ſcenam rediret ex antro Cyclopis Vlyſſes, ac mira quædam ſe uidiſſe diceret, quæreretq; chorus, an ſocios eius deuoraret Polyphemus: hoc ille aſſentiens, ſubijcit,

δισσοὺς γ' ἀθρήσας, κἀπιβαστάσας χεροῖν,
οἳ σαρκὸς εἶχον ἐντρεφέστατον πάχος.

Verùm heic pro ἀθρήσας omnino repoſuerim ἀθροίσας. ſiquidem illi, cum undiq; metu diffugerent, erant Cyclopi in unum ad laniénam congregandi. Nec aliter hoc uocabulum in Heraclidis eſt corrigendum, cum ait Demo-

Demophon,

μάντεις τ᾽ ἀθρήσας, θύσομαι.——

Similiter quod idem Vlyſſes paulo pòſt inquit,

ἤθελξα δ᾽ αὐτὸν ὡς ἐπῃσθόμην ἐγὼ,
ἄλλην ἔδωκα κύλικα, γινώσκων ὅτι
δρώσει νιν οἶνος, καὶ δίκην δώσει τάχα.

facilè poteſt emendari, quamuis uideatur ſubobſcurum, ſi pro *δρώσει* legas *τρώσει*: cum illud huic loco ſit ineptũ, hoc aptiſsimum. Videtur enim Homericũ illud expreſsiſſe,

οἶνός σε τρώει μελιηδής—— Od.φ.

At contrà in Heraclidis cũ dicit famulus,

οὐκ ἔστ᾽ ἐν ὄψει τραῦμα, μὴ τρώσῃς χερός.

heic, inquam, contrà pro *τρώσῃς* reponendũ *δρώσῃς*, ut nos quondã amicus uir admonuit.

Propertij & Catulli quædam tranſpoſita.
*Cap.*30.

SI duobus uel tribus in uerſibus alicubi contigit, ut eorum primus extremo, poſtremus primo loco perperam poneretur, quemadmodũ & ab alijs, & à nobis eſt oſtenſum: quid uetat in pluribus idem potuiſſe fieri, ac tales, quanquam longo remotos interuallo, uelut ex ima cauea ſuperiorem in locum ſubduci, depreſsis uiciſsim alijs? Propertij quidem elegia de morte Pæti, ſic uidetur eſſe confuſa, nihil ut queat extare perturbatius. Eius igitur uerſus quo ordine legendos

dos putem, indicabo, à naufragij deſcriptione exorſus, quandoquidem priora rectè ſe habent:

Nam tibi nocturnis ad ſaxa ligata procellis,
Omnia detrito uincula fune cadunt.
Non tulit hic Pætus ſtridorem audire procellæ,
Et duro teneras lædere fune manus.

*

Sed thyæ thalamo, aut Oricia terebintho
Effultum pluma uerſicolore caput.
Huic fluctus uiuos radicitus abſtulit ungues,
Et miſer inuiſam traxit hiatus aquam.
Hunc paruo ferri uidit nox improba ligno:
Pætus ut occideret, tot coiêre mala.
Flens tamen extremis dedit hæc mandata querelis,
Cum moribunda niger clauderet ora liquor.
Dij maris Aegæi, quos ſunt penes æquora uenti,
Et quæcunq; meum degrauat unda caput:
Quò rapitis miſeros primæ lanuginis annos?
Attulimus longas in freta uaſta manus.
Ah miſer, alcyonum ſcopulis affigar acutis:
In me cæruleo fuſcina ſumta deo eſt.
At ſaltem Italiæ regionibus euehat æſtus:
Hoc de me ſat erit, ſi modò matris erit.
Subtrahit hæc ſantem torta uertigine fluctus;
Vltima quæ Pæto noxq;, diesq; fuit.
O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ,
Et tu materno tacta dolore Thetis,
Vos decuit laſſo ſupponere brachia mento:

Non

Non poterat ueſtras illegrauare manus.
Reddite corpus humo, poſitaq́; in gurgite uita,
Pætum ſponte tua uilis arena tegas.
Et quoties Pæti tranſibit nauta ſepulcrum,
Dicat, Et audaci tu timor eſſe potes.
Ite rates curuæ, & leti contexite cauſas:
Iſta per humanas mors uenit acta manus.
Terra parum fuerat: terris adiecimus undas:
Fortunæ miſeras auximus arte uias.
Ancora te teneat, quem non tenuere penates?
Quid meritum dicas, cui ſua terra parum eſt?
Ventorum eſt, quodcunq́; paras. haud ulla carina
Conſenuit: fallit portus & ipſe fidem.
Natura inſidians pontum ſubſtrauit auaris.
Vt tibi ſuccedat, uix ſemel eſſe poteſt.
Sunt Agamemnonias teſtantia littora curas,
Qua notat Argenni pœna natantis aquas.
Hoc iuuene amiſſo, claſſem non ſoluit Atrides,
Pro qua mactata eſt Iphigenia mora.
Saxa triumphales fregere Caphærea puppes,
Naufraga cum uaſto Græcia tracta ſalo eſt.
Paulatim ſocium iacturam fleuit Vlyſſes,
In mare cui ſoli non ualuere doli.
Quodſi contentus patrio boue uerteret agros,
Verbaq́; duxiſſet pondus habere mea:
Viueret ante ſuos dulcis conuiua penates,
Pauper, & in terra, nil ubi flere poteſt.
At tu ſæue Aquilo nunquam mea uela uidebis,
Ante fores dominæ condar oportet iners.

Quid

Quid quod etiã in Catulli uerſione Comæ; uerſus iſtos hoc ordine potius auſim legere:

Abiunctæ paulo antè comæ mea fata ſorores
Lugebant, cum ſe Memnonis Aethiopis
Vnigena impellens nutantibus aera pennis,
Obtulit Arſinoes Chloridos ales equus,
Ipſa ſuum Zephyritis eò famulum legarat,
Grata Canopæis incola littoribus.
Isq; per æthereas me tollens auolat auras,
Et Veneris caſto collocat in gremio.
Vuidulam à fletu, cedentem ad templa deûm, me
Sidus in antiquis diua nouum poſuit:
Scilicet in uario ne ſolum limite cæli
Ex Ariadnæis aurea temporibus
Fixa corona foret: ſed nos quoq; fulgeremus
Deuotæ flaui uerticis exuuiæ.
Virginis & ſæui contingens namq; Leonis, &c.

Atq; hic ordo, ni fallor, à Callimacho, ſi, quod optamus, haberemus, confirmari poſſet. Sed ut ad Propertium redeam, ne hoc quidem cũctabor ſtudioſos admonere, elegiam à fine quartam, cuius initium *Phyllis* eſt, cum ſuperiore prorſus eſſe coniungendam, cuius eſt mera pars. Atq; ita facillimus erit intellectu uerſus ille,

Lanuuij ad portas hei mihi ſolus eram:

quem nimis operoſè atq; anxiè quidã ſunt interpretati. Ait enim ſimpliciter, ſe nihil aliud quàm Cynthiam, quæ Lanuuium erat profecta,

profecta, cogitaſſe: nec ab illa mẽtem ſuam, ad ea quæ præſtò aderant, auocare potuiſſe. Deniq; ſecundi lib. elegia 24. cuius initium, *Tu loqueris*, octo primos elegiacos non ſuos uſurpare ſibi uidetur. ſiquidem illi ad proxime priora carmina, ni me fallit, pertinent.

GVLIELMI CANTERI NOVARVM LECTIONVM LIber Sextus.

Pauſanias duobus in locis correctus.
Cap. I.

IN tãta præclarorũ autorũ ſerie, quorum à nobis ſcripta his in libris uel emendatiora, uel intellectu faciliora ſunt reddita (hoc certè ubiq; conati ſumus) non debet profectò ἀσύμβολος haberi Pauſanias, ſcriptor elegantiſsimus: quemq; omnes merito, qui ſunt hiſtoriæ & antiquitatis Græcæ ſtudioſi, carũ habent. Quocirca primo nũc eum ponemus loco, atque ubi, quod Græci dicunt eleganter, πᾶσιν ἐν καλῷ τῆς θέας ἐστί. Initio Corinthiacorum, Neptuni templum deſcribens, meminit etiã currus ab Herode dedicati, è cuius media baſi Venus emergat, aſsiſtentibus utrinq; Nereidibus: de quibus hæc deinde ſubijcit: πολλαχῆς ἐξ ἑτέρωθι τῆς ἑλλάδος

λάδος βωμοὺς εἶδα ὄντας. τοῦτον δὲ καὶ τεμένη σφίσιν ἀναθέντας ποιμαίνεσιν, ἔνθα καὶ ἀχιλλεῖ τιμαί. δωτοῖς δ' ἐν γαβάλοις ἱερόν ἐστιν ἅγιον. quorum uerborum ut prior pars mutila, ac penè inſanabilis uidetur, ita poſteriorem nos correctã dare poſſe confidimus. Itaq; pro δωτοῖς legimus δωτοῖ, dandi caſu. Doto namq; ab Heſiodo Nereidũ una recenſetur in Theogonia,

δωτώ τε, πρωτώ τε, φέρουσά τε δυναμένη τε.

quem uerſum uſurpauit etiam Homerus Iliad. σ. Quantum igitur in hac hiſtoria ſit hallucinatus Interpres, lectori expendendũ relinquo. nam ſic uertit illa poſtrema: *Apud Dotos in Gabalis ſanctiſſimum eſt templũ.* Iam in Bœoticis idem Pauſanias poſt enarratã Cadmeæ bouis hiſtoriam, ait: τοῖς οὖν νομίζουσιν εἰς γῆν ἀφίκεσθαι κάδμον τὴν θηβαΐδα αἰγύπτιον, καὶ οὐ φοίνικα ὄντα, ἔστιν ἐναντίον τῷ λόγῳ τῆς ἀθηνᾶς ταύτης τὸ ὄνομα. ὅτι σίγα κατὰ γλῶσσαν τὴν φοινίκων καλεῖται, καὶ οὐ σαΐς κατὰ τὴν αἰγυπτίων φωνήν. Locum hunc, alioqui facillimum, unicum dũtaxat uocabulum σίγα corrumpit. ſiquidem huius uera lectio eſt ὄγκα, ſeu ὄγα. id quod non eſt probatu difficile. Ac Mineruam quidem Thebis Oncam fuiſſe uocatam, teſtatur Aeſchylus in tragœdia Thebana, ubi chorus primũ ita precatur, μάκαιρ' ἄνασσ' ὄγκα πρὸ πόλεως ἑπτάπυλον ἕδος ἐπιῤῥύου. deindè

Nuncius

Nuncius Oncæas portas ita deſcribit:
τέταρτ☉ ἄλλ☉, γείτονας πύλας ἔχων
ὄγκας ἀθαίας, ξὺν βοῇ παρίσταται.

Iam Phœnicum eſſe Oncam uocabulũ, teſtatur etiam priore loco Scholiaſtes, quanquam poſtea ſecum diſſentit. Illud tamen ex utroq; loco aperte conſtat, Oncam Mineruam, non Sigam, & Thebis cultam, & in Pauſania legendã eſſe. Quin & Sophoclis ſcholiaſtes, cum initio Oedipi regis duo ponit Palladis templa, alterum οἰκαίας, alterum ἰσμηνίας facit. ſed heic quoq; ὀγκαίας legendum.

Muliebris libidinis ſimul & crudelitatis exempla quinq; inſignia. Cap.2.

OCto libidinoſarum mulierum, quæ calumniatæ ſunt eos à quibus erant repudiatæ, & necandos curarunt, exempla, protulit in ſuis Var. Lect. libris Muretus, uir omni laude digniſsimus. ijs nos alia quinque non admodum uulgata (nam quis alioqui Ioſephum, Hippolytũ, Bellerophontẽ ignorabat?) adijciemus. Ac Hebrus primùm, Caſandri regis F. cum nouercæ ſuæ Damaſippæ, improbæ petitioni nollet morem gerere, ab ea ſtupri nouercæ intentati apud patrem eſt accuſatus. Itaq; Caſander cum ſtricto gladio perſecutus, in Rhombũ fluuium, qui pòſt Hebrus eſt ab illo dictus,

præcipitare ſe coegit. Similiter & Myenus, Teleſtoris & Alpheſibœæ F. cum nouercæ nollet obſequi, in Alphiū montem ſeceſsit: ubi deinde, poſtquā minas patris intellexit, ſeipſum de mōte præcipitē dedit, eiq; nomē ſuum tradidit. Laurens quoq; quidam, cum alteram duxiſſet uxorem, ea priuigni Comminij forma capta, poſtquam uoti ſui compos fieri non potuit, ſuſpendio uitam, more Phædræ, finiuit, relictis etiam libellis, quibus illum apud patrem accuſaret. Heic ille, inſtar Theſei, Neptunum inuocauit: atq; is iuueni in curru ſedenti taurū immiſit, quo conſpecto ipſum equi, ſicut Hippolytum, dilacerarunt. Iam Eunoſtus, Eliei F. cum ab Ochna quadam, cognata ſua, perditè amaretur, nec eius deſiderio uellet ſatisfacere, illa hunc apud fratres ſuos ſtupri ui ſibi illati criminatur. Illi porrò inſidijs Eunoſto poſitis, eum occidunt. Verùm ipſa breui pœnas huius flagitij dedit, ac ſemet, pœnitentia ducta, de rupe quadam deiecit. Deniq; Clematius quidam Alexandrinus, quoniam ſocrum ſuam faſtidierat, eius opera calumniaq; ne hiſcere quidē permiſſus, occiſus eſt. Harum narrationum ſi quis autores quærit: poſtremum hoc Ammianus, reliqua Plutarchus, uterq; uarijs ex autoribus refert.

E Bacchis Euripidis uerſus aliquot caſtigati. Cap.3.

CVm ex Baccho quæreret Pentheus, num quis eſſet in Lydia Iupiter, qui nouos illic deos pareret, in his etiam Bacchum: reſpondet ipſe Bacchus,

οὐκ, ἀλλ' ὃς σεκέμης ἐνθάδ' ἔζευξεν γάμοις.

quæ uerba cum nec ſenſum nec uerſum reddant hoc modo perfectum, ſic emendo:

οὐκ, ἀλλὰ σεμέλην ἐνθάδ' ἐ.γ.

Non eſt, inquit, quòd ortum Bacchi tam procul repetas, aut alienos quæras Iouis filios, cum Iupiter hac in regione Semelē Baccho grauidam reddiderit: atq; ita ueſtrâsq; non alienus ſit deus cenſendus. Itaq; rectè inquit Cadmus ſub finem tragœdiæ,

—— ὁ θεὸς ἡμᾶς ἐνδίκως μὲν, ἀλλ' ἄγαν
Βρόμιος ἄναξ ἀπώλεσ' οἰκεῖος γεγώς.

Iam poſtquam ædes Penthei Bacchus ultione diuina concuſſerat, Bacchæ conſternatæ, in terram procidunt, ac tremore corripiuntur. Ipſe deinde iubet eas ſurgere, quęritq;, cur ita metu perculſę conciderint, atq; adijcit demum,

—— ἤδη θ' ὡς ἔοικε βακχίου
διατινάξαντος δῶμα πενθέως. ——

de quibus uerbis primum, ἤδη τε, quam ttis ab interpretibus omnibus fuerit receptum, locum tamen heic habere non poteſt. Quo

modo enim gaudio cum tremore ac metu conuenire poteſt? Itaq; leuiſsima mutatione pro ἤσθητε, repono ἥσθεσθε, quod huic loco aptiſsimum uidetur. Quinetiam poſt διαλυνάξαντος deſideratur τὸ, uel ſimile quid, ad uerſum cōplendum: quanquam ille nec ſic plenè expolitus erit, niſi etiam πενθέως δῶμα legatur, non δῶμα πενθέως. Vt autem ad priora redeam: ſimiliter propemodum interpretes ijdem uerſum Agaues in fine tragœdiæ contrariam in partem, non animaduerſa ſcripturæ corruptela, expoſuerunt. Is autem ita legitur,

λέγ', ὡς τὸ μέλλον καρδία πήδημ' ἔχει.

Heic illi ad πήδημα ſubaudiunt διὰ, quaſi cor tremore quodam futura præſagiret. At enim quia grauius aliquid expectabat Agaue, ſaliebat eius cor: non autem, quia cor ſaliebat, aliquid erat grauius expectandum. Itaq; καρδίᾳ lego, dandi caſu loco recti poſito.

Quid apud Horatium diludia ſignificent, declaratum. Cap. 4.

Diludia quid apud Horat. ſignificent, cum inquit, *& diludia poſco*, nemo adhuc rectè, quod ſciam, intellexit. Nam plerique omnes Acronem ſecuti, diludia putarunt id temporis ſpacium dici, quod tribui ſolebat gladiatorib. ad certaminis omiſsionem,

nem, ut intra dies quinq; pugnarent. Sed quorſum, quæſo, dies quinq;? nam de his Acro ne ſomniauit quidem, propè dixerim. Verùm in exemplari quodam antiquo ſic legitur hæc Acronis in hunc locum expoſitio: *Diludia dicuntur tempora, quæ gladiatoribus conceduntur intra dies munerum, quibus pugnant.*

Animaduertis, credo, lector, ab imperitis è *quibus* factum Quinq;, & additam deinde particulam *ut*, ne quid ipſorum auribus, ſi dijs placet, reſponſaret.

Seruianæ emendationis ſpecimen editum. Cap. 5.

QVandoquidē Seruij Honorati commentaria pluribus in locis è uetuſtis exemplaribus emēdata & aucta, & à ſuperfluis uindicata, breui in lucem proferemus, eius rei ſpecimen quoddam hoc loco dabimus. In poſtremā partem uerſuū Virgilij,

Sunt & Amineæ uites, firmiſſima uina, Georg. 2.
Tmolus & aſſurgit quibus, & rex ipſe Phanæus,

ſic ſcribit Seruius: *De Lucilio tractū eſt, qui ait,* χῖός τε δυνάσθαι οἶνος. Quæ uerba cum per ſe nullum habeant ſenſum, nec uerbis Poetæ lucem queant adferre, ita ſunt reſtituenda: χῖός τε δυνάστης, id eſt, οἶνος. Hoc enim uult dicere, quemadmodum Lucilius Chium ſatrapam de uino dixerit, itidem Phanæum regem à Poeta uſurpatum fuiſſe: ſimiliter

quod in Aen. 5. legitur, *Apricum quaſi αὖδο ψύχους:* ſic eſt corrigendũ, Apricum quaſi ἀπὸ φρίκης. Atq; hæc quidem in Græcis. Latinorũ autem exemplũ erit locuples, penultimum lib. tertij carmen,

Fata renarrabat diuûm.——

Cuius hæc eſt interpretatio Seruiana: *Re uacat, ut confiteri poſſit.* Sed hoc ita corriges, Re uacat: ut, *Confieri poſſit.* Vt enim *con* in *Confieri* (quod eſt initium carminis cuiuſdã lib. quarti) uacat: ita *re* in *renarrabat:* poniturq; compoſitum, quod uocant, pro ſimplici. Hæc nos de plurimis pauciſsima nunc quidem depromſimus.

Duo Varronis loca reſtituta.

Cap. 6.

NOnius Marcellus in Optare, citat hęc ex Varronis Marcipore uerba: *Et Diogenes qui amicos, qui ab Alexandro rege iuſſus optare quid uellet, ſe facturum.* Qui locus cum nonnihil corruptus uideatur, ita ſanari poſſe crediderim, ſi pro *qui amicos*, legamus Cynicos ſeu Cynicus. Ac ſimiliter apud Feſtũ in Rhonde, pro *quo nomina* lego Cognomina. nã reliqua feliciſsimè doctiſſ. Turnebus emendat. In Portitores quoq; citat idem Nonius ex eiuſdem Varronis Myſterijs hæc: *Aes defraudaſſe cauponem, bonam lutc obleuiſſe, tum portitores æra induxère.* Heic

pro

pro *bonam* equidem Cauponã legerim. Sed profectò doctiſſ. eundem uirũ ſequi malim, qui bouã credit heic uas uinarium longum & amplum, bouæq́ ſerpenti ſimile deſignari. malè tamen Lucilium pro Varrone citat.

Ariſtophanis in θεσμοφοριαζ. *& alter in Concionatricibus correctus locus. Cap. 7.*

IN θεσμοφοριαζούσαις concionatrix quædã, poſtquam incommoda multa, quę mulieribus ex Euripidis tragœdijs obuenerant, recenſuiſſet, ſubijcit:

καὶ ταῦτα μὲν ξύγγνωσθ᾽ ἄλλο ἡμῖν πρὸ τοῦ
αὐταῖς ταμιεύεσθαι προαιρούσαις λαβεῖν,
ἄλφιτον, ἔλαιον, οἶνον, οὐδὲ ταῦτ᾽ ἔτι ἔξεστιν,

quorum primus uerſus eſt ita corrigendus,

καὶ ταῦτα μὲν ξύγγνωσθ᾽. ἃ δ᾽ ἦν πρὸ τοῦ.

diſiunctis ijs, quæ perperã erant coniũctæ, uocibus, Iam ſub initium Concionatricum quædam de concilio, cum concionandum eſſe intellexiſſet, nec id mulieribus admodum eſſe difficile, alia prolatis docuiſſet exemplis, reſpondet huic:

οὐκ οἶδα. δεινὸν δ᾽ ἐστὶν ἡ ᾽μὴ ᾽μπειρία.

quo in uerſu cum duarum uocũ poſtremarum primæ ſint eliſæ literæ, prior tamen mihi non ἀκέφαλος, ſed plena debere cenſeri uidetur: quamuis Scholiaſtes τὸ πλῆρες eſſe dicat, ἡ ἐμὴ ἐμπειρία. Verùm id abſurdum eſt.

Cur enim ea quę mox difficile iudicarat eſſe quiddam, conciones habere, nunc experientiam in ea re ſuam & ſcientiam prædicaret? Quocirca ſic lego, δεινὸν δ᾽ ἐστὶν ἡ μὴ ᾽μπειρία. & ἡ μὴ ᾽μπειρία, expono, ἡ ἀπειρία. Id enim dicere uult mulier, Quanquam ita uobis uidetur, ardua tamen res eſt, inſolitum quiddam & magnũ ritę procurare. Quodſi quis erit in aſſentiendo pertinacior, is Phauorinum quoq; mecum ſentire cognoſcat.

Virgilius emendatus.
Cap. 8.

SVb initium tertij Georg. poſtquàm pręſtantis equi deſcriptionem additis exemplis illuſtrauit, hos ſubiungit uerſus,

Hunc quoq; ubi aut morbo grauis, aut iam ſegnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignoſce ſenectæ.

quorum quidem pars poſterior cum priore uidetur pugnare. Etenim quomodo quis equum ſenem domi poſsit abſcondere, & ſimul eius ſenectuti nõ ignoſcere? Quinimò nõ alia ratione melius huic ignoſcat, quàm ſi domi detineat. Quapropter pro *nec* lego Et, idq; autore I. Aurato, nunquam ſatis laudato uiro. Nec debet hiatus carminis impedire quenquam, quo minus hanc admittat emendationẽ, cum idem etiã alibi in Virg. reperiatur, atq; adeò non longè ab his ipſis uerſibus,

uerſibus, cum de Oeſtro inquit,

Arcebis grauido pecori, armentaq́; paſces.

Atq; haud ſcio an hic hiatus quibuſdam, ut & alijs alibi, huius loci corrumpendi, ipſorum quidem iudicio emendandi occaſionem dederit. Quid quòd eodem pacto uerſus hos lib. undecimi,

Quæ tuto tibi magna uolant, dum diſtinet hoſtem
Agger murorum, nec inundant ſanguine foſſæ,

corrigendos arbitror. qua quidem in re Donatus quoq; nobis eſt auxilio.

Plutarchi loca duo ab eodem mendo uindicata. Cap. 9.

PLutarchus Theſeo, cũ ad Amazonum hiſtoriam peruenit, & eas ad Vrbẽ caſtrametatas eſſe dixit, díu ínquit utroſq;, tã Athenienſes quàm Amazones, cõflictum detrectaſſe, & expauiſſe. tum ſequitur, τέλος ὃ Θησεὺς κατά τι λόγιον τῷ φοίβῳ σφαγιασάμενος, συνῆψεν αὐτῆς. Quo in loco cum Phœbi uocabulũ parũ uideatur ad rem pertinere, nec alioqui nimis propriè in oratione ſoluta pro Apolline poni: ex eo literam tollens unam, φόβῳ facio. Rectè namq; Timori, tanquam Veioui cuidam, Theſeus, cum pauerent Athenienſes, ſacrificaſſe dicetur. Quin & quod in Alexandro eiuſdem, legitur Alexander ipſe poſt Lunæ deliquium ἱερουργίας τινὰς ἀποῤῥήτους ἱερουργούμενος, καὶ τῷ φοίβῳ σφα-

γαζόμενος, eodem pacto emendandum puto. adeoque cum olim hunc locum ita correxiſſem, ab aliis pòſt annotatum reperi, ſcripta quoque exemplaria quædam hoc in loco φόβῳ habere. quæ quidem res noſtram utriuſque loci huius caſtigationem mirificè confirmauit. Quod ſi etiã alio opus eſt argumẽto: idẽ ſcriptor ſub initiũ Colcmenis etiam ædiculæ mentionẽ facit, quæ φόβῳ ſacra fuerit, in quam confugit Agylæus.

Ciceronis in Catone locus caſtigatus. Cap. 10.

DE ſenectute diſputans apud Cic. Cato, eamque cùm ceteris rebus expetendis non carere, tum autoritate ualere plurimum demonſtrans, quæ quidem pluris ſit quàm omnes adoleſcentię uoluptates: Craſſi, Lepidi, Maximi profert exẽpla: atque etiã Attilii Calatini, de quo mox hęc ſubiungit: *in quem illud elogium, Vnicũ plurimæ conſentiunt gentes, populi primarium fuiſſe uirũ*. In hoc elogio pro *unicum* tribus eſt uocabulis ſcribendum, Vno ore cui. de quo quanquam dubitare quis meritò poſsit, ita tamẽ hoc me certum redditurum confido, ut nemo iure dubitare poſsit amplius. Etenim altero de Finib. idem Cicero contra Epicurum diſputans, ait poſtremò: ſi quidẽ laudationes uirorum præclarorum, tam Gręcorum quàm

Romano-

Romanorum,inſpiciãtur, neminem ita laudatum uideri poſſe, ut artifex callidus comparandarum uoluptatũ diceretur·hęc enim ſunt eius uerba, poſt quæ ſtatim hæc ſequũtur: *Non elogia monumentorum id ſignificant, uelut hoc ad portã, Vno ore cui plurimæ conſentiũt gentes, populi primarium fuiſſe uirum.* Quocirca cum idem utrobiq; citetur elogiũ, facilè patet, utrũ ex altero ſit emendandũ. Et quoniam carmẽ hoc eſſe tradit Orator, poſſent hinc fortaſſe duo uerſus hoc modo effici,

Vno ore cui * plurimæ conſentiunt
Gentes, fuiſſe uirum populi primarium.

Ceterùm an pro *cui*, ſit potius Quem legendum, uiderint alij. Hæc uix ſcripſeram, cum prodierunt doctiſsimæ Caroli Langij in hunc librũ annotationes, in quibus coniecturæ noſtræ ſubſcribit, & eodem modo atq; argumento locum hunc emendat, ut & alios multos: niſi quòd unum etiam, cuius nunc uenit in mentem, omiſit. Quod enim legitur initio diſputationis huius, *Videtiſne, ut apud Homerum ſæpiſsime Neſtor de uirtutibus ſuis prædicet?* iuſto prolixiorem habet uocem *uirtutibus*, quæ eſt in Viribus mutanda, quemadmodũ & Homerus docet, & Gaza uertit. Atq; hoc ego, quoniam puſillum eſt, admoniturus non eram, niſi à tanto uiro neglectum reperiſſem.

Mendum

Mendum quoddam è Platone ſubla-tum. Cap. II.

IN epiſtola, quã ad amicos Dionis, ipſo mortuo, conſcripſit, duas reddit cauſas Plato, quibus motus in Siciliam redeũdum ſibi putauerit. Harum una fuit, ſui reuerentia, ne uideretur ſibi multa loqui, pauca efficere poſſe. altera, ne hoſpitium Dionis atq; amicitiam proderet, qui cum magnis conflictabatur periculis. quæ ſic Græcè leguntur, αἰσχυνόμενος μὲν ἐμαυτοῦ τὸ μέγιστον, μὴ δόξαιμί ποτε ἐμαυτῷ παντάπασι λόγῳ μόνον ἀτεχνῶς εἶναί τις, ἔργου δ᾽ οὐδενὸς ἄν ποτε ἑκὼν ἀνθάψασθαι. κινδυνεύσειν (aliter κινδυνεύειν) ἢ προδοῦναι πρῶτον μὲν τὴν Δίωνος ξενίαν τε καὶ ἑταιρείαν, &c. in quibus unius uocabuli erratũ, ſenſum penè totũ perturbat, & interpretes ſatis longè tranſueros rapuit. Nam pro κινδυνεύσειν ſcribẽdum eſt κινδυνεύων, cum id non ad δόξαιμι, ſed ad αἰσχυνόμενος pertineat. Quin & illud λόγῳ μόνον ἀτεχνῶς εἶναί τις, quamuis prima fronte ſincerum uideatur, non diſsimulabo tamen me pro λόγῳ malle λόγος. Eleganter enim Græci dicũt aliquem λόγον εἶναί τινα (ſicut & ὄνομα) qui præter uocem & uerba nihil habet, quod ab eo expectari poſsit, aliud. Quid quod etiam in antiquo ſcriptore, qui hunc Platonis citabat locum, λόγος legere memini?

Horatij carmen, & alterum Propertij expoſitum. *Cap.*12.

ODe ſexta primi promittit Horatius Agrippæ, fore ut à Vario res ipſius geſtæ deſcribantur, idq; Mæonij carminis alite. ſiquidē hæc ſunt eius uerba. Ceterùm alitem hunc plerique pro auſpicio ſumunt, quemadmodum Græcis ὄρνις, quicquid aliquam de ſe coniecturam præbet, uocatur. Quorū ego ſubtilitate ualere iuſſa, alitem pro pēna ſeu calamo, atq; adeò ſtylo ſumo: ut Varius eo ſtylo res Agrippæ, quo Achillis Homerus, deſcripturus dicatur. Et quēadmodum hoc loco auis pro penna, ita uiciſsim penna pro aui ponitur apud Propertium, cum ait ad ſuam,

Tuq; ò cara mihi, felicibus edita pennis, el.1.lib.3.
Surge, & poſcentes iuſta precare deos.

Obſeruandę certè ſunt hæ mutuæ uocū permutationes in poetis: quæ ut magnam habēt uenuſtatem, ita ſæpe non parua difficultate ſunt implicitæ. At poſcentes deos ita dicit, ut poſcentes ocellos initio lib. ſecundi.

Euripidis uerſus difficillimus correctus. *Cap.*13.

IN Hercule furēte Nuncius explicata multis uerbis Herculis inſania, & eius horrēdis effectibus, poſtremò inquit Palladē uenisſe, quæ proiecto lapide Herculē ſopiret:

ἀλλ᾽ ἦλθεν εἰκὼν, ὡς ὁρᾷν ἐφαίνετο,
πάλλας κραδαίνουσ᾽ ἔγχος ἐπὶ λόφῳ κέαρ &c.
quorum poſterioris uerſus pars poſterior miſerè eſt, ut apparet, corrupta. Nam quorſus illud ἐπὶ λόφῳ primùm? deinde qui κέαρ exponunt, in Herculis cor: cur tacere non malint, quàm ſe ridendos exponere, non uideo. Vera certè lectio, niſi me omnis fugit ratio, hæc erit,
πάλλας κραδαίνουσ᾽ ἔγχος ἐπίλογχον χερί.

Ac de κέαρ quidem nunquam dubitaui, quin eſſet in χερὶ mutãdum: uerùm ἐπίλογχον nunquam auſus eſſem hoc loco reponere, niſi id etiam alibi ab eodem poeta, ſenſu non admodum diſsimili uſurpatum reperiſſem. Extat autem is locus in Hippolyto, ubi Phædra præ amore inſaniens, ac Hippolyti uidendi cupida, ſic loquitur: ἔραμαι κυσὶ θωύξαι, καὶ παρὰ χαίταν ξανθὰν ῥίψαι θεσσαλὸν ὅρπακα, ἐπίλογχον ἔχουσ᾽ ἐν χερὶ βέλος: quæ cum illis collata, probabilem, credo, reddent noſtram coniecturam doctioribus pleriſq;. nam ceterorum quidem οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ.

Aliquot Horatij odæ ex antiquis codicibus reſtitutæ. Cap. 14.

ODa ſexta lib. ſecundi legitur in Horatio,
Ver ubi longum, tepidasq; præbet
Iuppiter brumas: & amicus Aulon,

Fertili Baccho minimum Falernis Inuidet uuis.
quę poſtrema melius in manuſcripto codice leguntur,

——& amicus Aulon Fertilis Baccho.

Nam ut fertilis Bacchus non ſatis concinnè, hoc quidem loco, dicitur: ita fertilis Aulon, amicus Baccho, Falernis uuis non inuidere, fingetur commodiſsimè. Quin & Porphyrio noſtrā lectionem quodam modo tuetur. ſic enim ille, *Aulon locus eſt contra Tarentinam regionem, ferax boni uini.* Quid quod etiam Tibullus eodem dixit modo,

——*Bacchi cura Falernus ager.*

Oda 18. legitur circa finem,

——*æqua tellus*
Pauperi recluditur,
Regumq; pueris.

Manuſcriptus habet, Regumq; natis. quod ſi non de alia, uerſus quidē cauſa præferendum eſt. Iam oda 15 lib. tertij ſic deſinit:

Te lanæ prope nobilem
Tonſæ Luceriam, non citharæ decent,
Nec flos perpetuus roſæ,
Nec poti uetulam fæce tenus cadi.

Melius autem in manuſcripto legitur, Nec poti uetula fæce t.c. Quamuis enim uetulam uideatur poſſe anum dicere, minus tamen concinnū hoc erit. Præterea noſtram ſcripturam ſequitur interpres uterq; . Ac Porphy-

Porphyrio quidem ait, *per fæcem autem uetu-lam, uetus uinum accipe:* Acro uerò, *tanquam quæ uaſa uino uetere potando euacuaret.* Similiter dixit Perſius,

Sat 4. *Seriolæ ueterem metuens deradere limum.*

quanquam ibi uulgò Veteris malè legitur. Deniq; oda nona lib. quarti inqt ad Lolliũ,

——non ego te meis
Chartis inornatum ſileri,
Totúe tuos patiar labores
Impunè, Lolli, carpere liuidas Obliuiones.

quæ lectio ut improbari non poteſt, ita nec ea quam ex duobus antiquiſsimis proferam codicibus, repudianda mihi uidetur. in ea Silebo legitur. quanquam, utra ſit alteri pręferenda, nondum liquet. noſtræ quidem ſimilis extat hæc in oda 12. primi,

Prælijs audax neq; te ſilebo, Liber.

Sed puſilla ſunt hæc, inquiet aliquis. fatērer, ſi ad aliquem τῶν τυχόντων pertinerent. At in poeta tam eximio debent etiam puſilla quælibet pro magnis haberi, præſertim cum accedit antiquorum fides librorum.

Athenæi locus, & alter Ariſtidis illuſtratus. Cap. 15.

PTolemæus Philadelphus cum Soſibiũ ſophiſtam ſuo uellet iugulare gladio, atq; ita ſtipendium ei ſoluere, quemadmodum ipſe Homericos ſoluebat nodos: uocatum

tum ad ſe iuſsit codicem expenſorum inſpicere: & quoniam Soteri, Soſigeni, Bioni & Apollini, de quorum ſingulis nominibus ſi demeretur ſyllaba, nomen ipſius, quod erat Soſibius, poſſet efficere: quoniam igitur ijs uidebat ſolutum eſſe, ſibi quoque ſatiſfactum eſſe credere. Et alia quidem, quæ huc pertinent, apud Athenæum leguntur: poſtremò autem dixit Ptolemæus, καὶ ταῦτα οὐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὐτοῦ πτεροῖς κατὰ τὸν θαυμάσιον αἰσχύλον ἁλίσκῃ ὁ πρὸς διονύσους λύσεις πραγματευόμενος. in quibus uerbis, quia locus Aeſchyli, ad quem Rex alludebat, in ijs quæ extant tragœdijs non extat, eum uolumus integrū proponere, ſicut à Schöliaſtis quibuſdam citatum annotauimus: Itaque in Myrmidonibus legebantur olim hi uerſus; Lib. ii.

ὡς δ' ἐστὶ μύθων καὶ (fortè τὶς) λιβυστικῶν λόγος;
πληγῆντ' ἀτράκτῳ τοξικῷ τὸν αἰετὸν,
εἰπεῖν ἰδόντα μηχανὴν πτερώματος,
τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὐτῶν πτεροῖς
ἁλισκόμεσθα.

Neque tamē hæc apud Aeſchylum aquilam ipſam dicere, quod illi uolūt, credimus: uerùm actorum aliquem, ac Myrmidones fortaſſe, quod de aquila ferebatur, ſibi accommodare. Nam aquilæ quidem uerba referuntur in fabellis Aeſopi. Huc porrò alluſit etiā Ariſtides noſter initio orationis pro

Rhetorica, poſtquam ex ipſius Platonis uerbis docuit, artem nō ſemper uincere: ſed alicubi prę clarius eſſe, ac dijs gratius, arti non ſeruire. Addit igitur, ὡς εἰ μὲν βούλει, τὸ τοῦ Εὐριπίδου καὶ τὸ αὐτοῦ νὴ δία συμβαίνει, &c. εἰ δ' αὖ βούλει, τὸ τοῦ αἰσχύλου, τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὐτοῦ πτεροῖς, ἃ θρυλλεῖς ἐν ἐκείνοις τοῖς λόγοις, ἁλίσκῃ. Quò pertinet etiam, quod paulo pòſt inquit ad Platonem, καί μοι τοῦ παραδείγματος ἐνταῦθ' ἀναμνήσθητι τοῦ τῶν ἡνιόχων. τάχ' αὖ γὰρ ἁλοίης τοῖς ἅρμασι τοῖς σαυτοῦ, καὶ οὐ τοῖς πτεροῖς. Quod quàm lepidè dictū ſit, nemo facilè niſi qui ſuperiora cū his contulerit, intelliget.

Viperæ etymon explicatum.

Cap. 16.

VIperam grammatici à ui dictā tradunt. Ego uiperam dici puto quaſi uiuiperam, quòd ſola ferè in ſerpentum genere non ouū, ſed animal pariat. id quod eleganter docuit his uerſibus Nicander,

ἐν ᾗ γὰρ βαρύθει ὑπὸ κύμασι. τοὶ δὲ καθ' ὕλην
ὠοτόκοι ὄφιες λεπυρὴν θάλπουσι γενέθλην.

quos ita Gorræus uertit:

Sola etenim fetu grauida eſt, cum cetera in altis
Ouipara excludant teſtacea pignora ſiluis.

Lycophronis fragmenta in unum collecta. Cap. 17.

QVandoquidem ut egregij corporis, ita ſcriptionum præclararum etiam partes

partes quælibet ac fragmenta ſolēt à doctis ſtudioſe excipi: adferemus hoc loco, quęcūque ex Lycophronis Chalcidenſis, cuius Caſſandram nuper Latinā fecimus, dramatibus apud autores diſperſa, pro ſtudio noſtro colligere potuimus. Athenæus primū, ac Laertius, Menedemum, ſatyram Lycophronis, citant. eam ille de Menedemo quodam, philoſopho ſui temporis, cuius uitam habet Laertius, conſcripſerat, ἐγκώμιον τοῦ φιλοσόφου ποιήσας τὸ δρᾶμα, ut illius uerbis utar: quanquam aliter ſentit Athenæus. Ex hoc dramate uerſus hos Sileni ad ſatyros idem producit:

παῖδες κρατίστου παιδὸς ἐξωλέστατοι,
ἐγὼ μὲν ὑμῖν ὡς ὁρᾶτε στρηνιῶ.
δεῖπνον γὰρ οὔτ' ἐν καρίᾳ, μὰ τοὺς θεοὺς,
οὔτ' ἐν ῥόδῳ τοιοῦτον, οὔτ' ἐν λυδίᾳ
κατέχω δεδειπνηκὼς, ἄπολλον ὡς καλόν
——ἀλλὰ κυλίκιον ὑδαρὲς
ὁ παῖς περιῆγε τοῦ πενταβόλου ἀτρέμα
παρεξεστηκὸς ὅτ' ἀλιτήριος,
καὶ δημόνικος ἐπεχώρευε δαψιλὴς,
θερμὸς πενήτων καὶ τρικλίνου συμπότης. & poſtea
——τράγημα γὰρ
ὁ σωφρονιστὴς πᾶσιν ἐν μέσῳ λόγος.

Sed hæc quia nonnihil corrupta ſunt, conabimur, quantū licebit, corrigere. Ac primum quidem uerſum ita legendum cēſeo,

παῖδες κρατίστου πατρὸς ἐξωλέστατοι.

Quæ deinde ſecundo loco citãtur, ita partim corrigo, partim diſtinguo,

*ὁ παῖς * περιῆγε τοῦ πεντωβόλου*
ἀτρέμα παρεξεστηκὼς, ὅτ' ἀλιτήριος
καὶ δημονικὸς ἐπεχόρδευε δαψιλὴς
θέρμος, πενήτων καὶ τρικλίνου συμπότης.

Quod heic habes *πεντωβόλου*, uidetur ad poculi uilitatẽ pertinere: quemadmodum & Laertius ait, *τότε περιαγόμενον ποτήριον οὐ μεῖζον τὴν κοτυλιαίου*. Pro *δημονικὸς* alibi legitur apud Athenæũ *δημόκοιτος*. *τῷ ἐπεχόρδευε* uſus eſt etiam Diphilus comicus eodem pacto,

εἰς τὸ μέσον ἐπεχόρδευσε σαπέρδης μέγας.

θέρμος heic lupinum ſignificat. Laertius, *τράγημα θέρμος ἢ κύαμος*. Eum *συμπότην* uocat *πενήτων καὶ τρικλίνου*, uel, ut aliter legitur, *τρικλίνων*, ſiue tenuium menſarum: quomodo ſalẽ in Caſſandra dixit *ξένοις σύνδορπον*. Poſtremo loco poſitos uerſus citat etiã Laertius, uerùm paulo aliter, atque adeò plenius,

ὡς ἐκ βραχείας δ' αὐτοῖς ἡ βαιὰ κύλιξ
αὐτοῖς κυκλεῖται πρὸς μέτρον. τράγημα δ'
ὁ σωφρονιστὴς τοῖς φιληκόοις λόγος.

Quin & quæ ſequũtur apud Athenęum, uidentur ex eadem fabula petita, *καὶ πολλάκις συνιόντας αὐτοὺς τοῦ ἐπιπλεῖον ὁ ὄρνις κατελάμβανε τὴν ἕω καλῶν, τοῖσι δ' οὐδέπω κόρος*. Quis enim in his, licet confuſis, non agnoſcat, quod ille ait,

le ait, *diſiecti mēbra poetæ?* Stobæus præterea hanc nobis conſeruauit Lycophronis è tragœdia quadam ſententiam:

ἀλλ' ἡνίκα μὲν ᾖ πρόσω τὸ κατθανεῖν,
ᾅδης ποθεῖται τοῖς δεδυστυχηκόσιν.
ὅταν δ' ἐφέρπῃ κῦμα λοίσθιον βίου,
τὸ ζῆν ποθοῦμεν. οὐ γὰρ ἔστ' αὐτοῦ κόρος. quam nos ita uertebamus:

At donec eſt remota dira mors procul,
Deſideratur Orcus infelicibus.
Sed unda cum poſtrema ſubrepit animi,
Hunc malumus. nam nulla nos ſatias tenet.

Atq; hęc ferè ſunt, quę nobis de hoc poeta, pręter Caſſandram, reſtare cōperi. Quas enim alij uoculas adferunt, eæ nō huius poetæ, ſed grammatici cuiuſdam ſunt, qui Ariſtophanē & alios poetas interpretatus eſt: de quo nos alibi.

Lacydis hiſtoria lepidiſſima, breuiter expoſita. Cap. 18.

INter ceteras philoſophorū ueterum opiniones, quas apud alios eſt uidere, ea quoque recenſetur, quæ *ἀκαταληψίαν* introduxit, nec reuerà quicquam ſenſibus percipi credidit. Eius cum Pyrrho quidam autor primùm fuiſſet, Arceſilaus deinde, mediæ princeps Academiæ, quanquam Academicus uocabatur, Scepticos tamē ſequebatur maximè. Huius diſcipulus fuit inter alios

Lacydes quidam: qui quo pacto Arceſilai ſententiā primò ſecutus, eādem deinde, malo ſuo doctus, repudiarit, retulit alicubi Numenius: quæ hiſtoria quoniam eſt lepidiſsima, paucisq́; cognita, breuiter à nobis explicabitur. Cum Lacydes hic eſſet paulo ſordidior, penarij ſui curam gerebat diligenter, ita ut nemini id, pręter ipſum, nec aperire liceret, nec claudere. Cum aũt clauē ſecū circũferre nollet, eam ſolebat, poſtquàm penariũ clauſiſſet, in concaua quadā tabella reponere: & eam cũ anulo obſignaſſet, hunc in penarium per ſeram deuoluere: ut, cum rediſſet, & claue penarium recluſiſſet, anulum reciperet, eumq́; cum iterum clauſiſſet, & obſignaſſet, rurſum deuolueret. Quā aſtutiam cum ſerui animaduertiſſent, ſimulac foras ille prodierat, ipſi quoque penario aperto, poſtquàm quantum uoluerāt, comederant, biberant, atq; abſtulerant, claudebant, obſignabant, anulum, nō ſecus atq; ille, deuoluebant. Lacydes ergo cum uaſa, quæ diſcedens plena reliquerat, poſt reditũ reperiret uacua, nec, quid hoc ſibi uellet, ſcire poſſet: poſtquàm audiuit Arceſilaũ acatalepſiam aſſerere, hoc ipſum ſibi in penu ſuo contingere eſt arbitratus. Hac igitur arrepta occaſione, Arceſilaum ſectabatur, atq; eius opinionem contra Zenonem & Stoicos (nam
hi con-

hi contrariam tuebantur ſententiam) defendebat ſtrenuè. cumq́ aliquando quendam ex cōdiſcipulis ad ſe deduxiſſet, ei re ipſa ueritatem opinionis ſuæ demonſtrare conabatur: quippe cuius confirmationem nō ab alijs accepiſſet, uerùm ipſe expertus didiciſſet: & quoniā, inquiebat, ipſe claudo, ipſe obſigno, ipſe anulum deuoluo, ipſe poſtquàm iterum aperui, anulum quidem, non etiam alia, inuenio, quidni ſic ſentiā, & Zenonem cum ſuis ualere iubeam? nec enim furem ingredi quenquam dixero, cum ſit intus anulus. Tum alter ille, ut rem totam intellexit, animaduerſa fraude, riſit effuſiſſimè, ſimulq́ ridendo uanitatē eius coarguit. Itaq́ deinceps anulum non deuoluebat Lacydes, nec ſenſus ſuos falli credebat potius, quàm uerum ſentiebat dānum, fruſtraq́ philoſophatus erat. Veruntamē nec ſerui eius tam ſtupidi erāt, ut non, cum eius hæreſim cognouiſſent, apertè iam ſigillum rumperent, & nunc aliud, nunc nullum reponerēt, quòd exiſtimabánt utrunq́ fore ipſius opinioni congruum. At ille cum ingreſſus non ſignatam, uel aliter ſignatam offenderet tabellam, eos increpabat: cumq́ illi uel ſignatam eſſe aſſererent, ac ſeſe quidem ſigillum conſpicere, contrà demonſtrabat: uel, ſi deeſſet ſigillum, ipſum obſignare fuiſſe obli-

tum cõtenderẽt, probe ſe, cum obſignaſſet, meminiſſe aiebat, ac ſe ab ipſis ludi affirmabat. Tum illi uiciſsim ſe ab ipſo ludi aiebãt: qui, cum opinionem ſuſtuliſſet, memoriam quoq; aboleret. hanc enim eſſe opinionem. Contra quæ cum ille diſputaret acriter, ipſi ad Academicum quendam itantes, quid eſſent reſponſuri, diſcebant. Itaque diſputabatur inter ſeruos ac dominum quotidie, ab illis Stoice, ab hoc Academice: nec quicquã interim relinquebatur, non uaſa, non quæ in uaſis erant, non aliud quicquam domeſticum. Deniq; Lacydes, cum nihil ſe proficere uideret, ante penarium ipſe cuſtodiæ cauſa conſedit. cumq; nec ſic ſatis tueri ſua poſſet, aperte tandem: Aliter, pueri, inquit, hæc in ſcholis diſputamus, aliter uiuimus. Atq; hęc fere Numenius de Lacyde retulit.

Duo Euripidis loca caſtigata.

Cap. 19.

APud Euripid. Helena in oratione ea, qua conatur Theonoæ perſuadere, ut ſe Menelao marito reddat auferendã, quærit ex ipſa, utrũ deus Mercurius, ac mortuus Proteus, res alienas reddere malint, an non reddere? Inde namq; conatur efficere, ut ipſa, quæ deos & parentes ueneretur, nec eorum uoluntatem ignoret, Menelai aduentum fratrem cælare, & abitum cum uxore,

quod poſsit iuuare debeat. Sed hæc Græcè non nimis correctè legũtur, propter omiſſam negationem:

πότερον ὁ δαίμων, χ' ὡ θανὼν τὰ τῶν πέλας
βούλοιντ' ἂν ἢ βούλοιντ' ἂν ἀποδοῦναι πάλιν;

Heic interpretes, cum uicium non ſentirent, prius *βούλοιντο* peſsimè expoſuerunt, uelint retinere. nec mirum: nam aliter uidebãt ſenſum ſtare non poſſe. Itaq; deſideratur, ut dixi, negatio, ut ita ſit legendus poſterior uerſus,

βούλοιντ' ἂν, ἢ οὐ βούλοιντ' ἂν ἀποδοῦναι πάλιν.

Nec eſt quòd quenquam carminis ratio moueat, qui quidem ſit aliquantum in poetis uerſatus. Quinimò, ni fallor, hac ipſa de cauſa nonnulli, cum hanc particulam putarent menſuræ carminis officere, audacter eam, ſed indoctè, reiecerũt. Similiter enim uerſum in Cyclope, qui ſic eſt legendus,

ξεστοὺς γὰρ δρεπανῷ οὐ γ', ἀλλὰ παλιούρου κλάδῳ,

ita per inſcitiam corruperunt,

ξεστοὺς δ' οὐ δρεπανῷ γ', ἀλλὰ π. κ.

Sed ad orationes redeo. his abſolutis Theonoe perſuaſa, reſpondet ſe ipſorũ uoluntati morem geſturam, & ut in patriam tutò auehantur, operam daturam eſſe. Et quoniam prius dixerat, in deorum concilio Iunonem quidem ipſis fauiſſe, Venerem autem obſtare, reditumq; impedire conari: ad

dit,ſe cum Iunone ſentire uelle, Veneris autem pacem exorare. ait igitur,

ἥρα δ᾽ ἐπείπερ βούλεται σ᾽ εὐεργετεῖν,
εἰς ταυτὸν οἴσω ψῆφον. ἡ χάρις δ᾽ ἐμοὶ
ἵλεως μὲν εἴη, συμβέβηκε δ᾽ οὐδαμοῦ.

in quibus illud, ἡ χάρις, corruptum uidetur, ideoq; ſic eſt ab interpretibus translatum, ut eorũ uerſiones proferre pudeat. Verùm ego ἡ κύπρις legendum putarim, ſicut antè dixerat,

κύπρις δ᾽ ἣ νόστον σὸν διαφθεῖραι θέλει.

& è ſequentibus non difficulter colligitur. niſi quis fortè Gratiã pro Venere poni putet, quemadmodũ & χαρίζεσθαι ad res Venereas refertur, & ἄχαρις puella Sapphoni dicitur ἡ ἀναφρόδιτος, quæq;, ut ille ait, nondũ tulit iugum. ſed an ea dicendi figura poſsit hoc loco tolerari, equidem dubito.

Tibulli carmen emaculatum, & alterum Propertij declaratum.
Cap.20.

ELegia tertia lib. ſecũdi, riuali ſuo ſic imprecatur Tibullus:

At tibi dura ſeges, Nemeſim qui abducis ab urbe,
Perſoluat nulla ſemina terra fide.

quo in loco cum *ſeges* ac *terra* non ſatis concinnè uideantur cohærere, alterum neceſſariò mutandum uidetur: & pro *terra*, quod eſt ſimillimum, legendũ Tecta. Sed cur ait Propertius

Lib 2.

pertius de Neſtore,

Si tam longæuæ minuiſſet fata ſenectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus.

Equidem Gallicum puto Troianum dici, à fluuio Troiano, de quo ſic Ouidius inter ceteros:

Inter, ait, uiridem Cybelen, altasq́; Celænas
Amnis it inſana, nomine Gallus, aqua.

E Tryphiodoro mendæ ſublatæ.

Cap. 21.

TRyphiodorus poeta non contemnendus, Troiæ excidium pagellis aliquot olim deſcripſit: in quibus quia mēda cernūtur plurima, eorum quædam nunc inter alia uiſum eſt tollere. Ac primùm in deſcriptione equi lignei ait ſub finem,

οὐ μὲν ἐπὶ κνήμησιν ἀχάλκεες ἔξεχον ὁπλαὶ,
μαρμαρέης δ' ἑλίκεσσι κατεσφήκωντο χελώνης,
ἁπλομέναι πεδίοιο μόγις κρατερὸν ὄχη χαλκῷ,

quod poſtremum carmen quoniam eſt corruptiſsimum, ſic emendo,

ἁπλομέναι π. μ, κρατερώνυχι χαλκῷ.

Iam in tumultu captæ Troiæ inquit inter cetera,

οἱ δ' ϑοοὺς οὔρη ὑποζεύξαντες ἀπηνάς, &c.

ubi uox mutila οὔρη in οὐρῆας mutāda, tā carminis quàm ſenſus argumento uincitur. Denique in uaticinio Caſſandræ de equo hæc habentur:

οὐ γὰρ ὑπ' ὠδίνεσσι μογοστόκου ἵππον ἀνεῖσαι
ἀνδράσι λικτομένοισι νέφη χήσουσι γυναῖκες.

uocabulũ νέφη quidam, per noctẽ, expoſuit. quæ ſi recipitur interpretatio, nõ uideo quę alia recuſari poſſit. Sed eſt profectò corrupta uox, ac reponendum βρέφη.

Ciceronis locus, & alter Martialis emendatus. Cap. 22.

IN commemorandis corũ exemplis, qui mortem præſentem forti animo erant aggreſſi, poſtquam Lacedæmoniorum, qui in Thermopylis occiderant, epitaphium recitauit, adijcit ſub finem primæ Tuſculanæ: *Quid ille dux Leonidas dicit? Pergite animo forti Lacedæmonij. hodie apud inferos fortaſſe cœnabimus.* Hoc in loco miror mendum turpiſſimũ tandiu tot in libris inhæſiſſe. Quis enim non eſſet ſuſpicatus, heic pro *Pergite* legendum fuiſſe Prandete: cum præſertim hoc apophthegma tam ſæpe ab hiſtoricis Græcis in hunc ſenſum referatur. Atque ut alios omittam, Diod. Siculus initio lib. 11. ſic ait: *Λεωνίδης δὲ τὴν ἑτοιμότητα τῶν στρατιωτῶν ἀποδεξάμενος, τούτοις παρήγγειλε ταχέως ἀριστοποιεῖσθαι ὡς ἐν ᾅδου δειπνησομένους.* Et quoniam prandendi facta eſt mentio, quidam nunc ex Martiali ſuccurrit locus, quem eodem ferè modo licet emendare. Nã quod in epigr. lib. 4. penè ultimo legitur carmen,

Pondero

Pondero, poto, cano, ludo, lauo, cœno, quieſco: corruptam habet uocem primam, in cuius locum ſi ſubſtituatur Prandeo, integrum euadet.

Ex Euripidis Iphigenia uerſus aliquot caſtigati. Cap. 23.

IN Aulidenſi Iphigenia, in iurgio fraterno inquit Menelaus,

μυρίοι δέ τοι πεπόνθασ' αὐτὸ πρὸς τὰ πράγματα,
ἐκπονοῦσ' ἔχοντες, εἶτα δ' ἐξεχώρησαν κακῶς.

Poſterioris uerſus initium ſic exponunt interpretes: laborãt, ut ea conſequãtur. quo quid ineptius dici poſsit, non uideo. Nos ἔχοντες audacter in ἑκόντες mutamus. nec puto quenquã fore, cui uel tantillum interceſſerit cũ Euripide familiaritatis, qui non libenter hac in emendatione mihi ſit aſſenſurus. Iam Agamemnon poſtquã filiam cum uxore aduectam intellexit, inops conſilij redditus, ad lacrymas ſe cõponit. uerùm ut hoc ſibi inhoneſtum fore cogitauit, extollit eos; qui ſunt humilis familiæ progenies: quòd illis & lacrymas fundere liceat, & lamentari: generoſos autem uiros iſta minimè deceant. quæ poſtrema Græcè ſic leguntur,

——*τῶ δὲ γενναίῳ φύσιν*
ἄπαντα ταῦτα.——

in quibus cum uox *ἄπαντα* manifeſtè corrupta ſit,

pta ſit, Brodæus primùm (nam hoc quidem loco nomen eius tacere non poſſum) ἀπαντᾷ legendum cenſuit. Non rides, lector, hæc cum legis? ego certè ſine riſu non ſcribo. Nam quis crediſſet unquam, ut uocem ipſam excutere ſuperſedeã, tantę lectionis uirum ita fuiſſe omnium carminis legum rudem & imperitum, ut, quod ne per ſomniũ quidem unquam feciſſet Euripides, ſecundo loco ſpondæum collocaret pedem. Ceterum hæc quidẽ utcunq; tolerari poſſent: uerum quòd Stiblinus deinde, recens Euripidis interpres, egregiam iſtam emendationem in Poetæ contextum recepit, quaſi omnem uoluiſſet lectoribus adimere dubitationem, hoc uerò flagitium quis ferendum putet? Siccine bonos autores uerti, mutari, corrũpi? Sed ut ad noſtra ueniamus, ego pro ἄπαντα, uel ἀπῳδὰ, uel potius ἀπευκτὰ legendum cenſuerim: quanquam de utroq; nihil adhuc auſim affirmare. neq; hæc, tam ut meas proponerem coniecturas, proferenda cenſui, quàm ut de egregijs iſtorũ emendationibus rudes & ſimplices, ac nimium ſæpe credulos admonerẽ lectores. Deniq; Iphigenia poſtquam permultis precibus ac blanditijs patrem obſecrauit, ne filiam ſua manu iugulare uellet: poſtremò, ut ſolent oratores firmiſsima quæq; fini reſeruare,

hæc

hæc ſubijcit:

ἐν συντεμοῦσα, πάντα νικήσω λόγον.

qui uerſus tametſi prorſus integer uidetur, mihi tamen multo uenuſtior, ac magis Euripideus uidebitur, ſi pro *νικήσω* reponamus *κινήσω*. Sicut enim prouerbio dici ſolet, *πάντα κινεῖν λίθον*, ſic *πάντα κινεῖν λόγον*, nõ illepidè hinc Poeta traduxiſſe poterit uideri. Tranſpoſitio quidem literarum quàm facilè committi potuerit, uix admonendum arbitror. Quodſi quis etiam geminum deſiderat, audiat Platonem Philebo, *ἐνθουσιῶντε καὶ πάντα κινεῖ λόγον ἄσμενος*.

Plautinum carmen correctum.

Cap. 24.

PHroneſium Truculenti Plautinæ, quæ alienos, ut inquit, dolores ſibi ſuppoſuerat, cuiq; nõ lites magnas, ut illi Catulliano, ſed lucrum magnum erat allaturum hoc

Falſum mendaci uentre puerperium:

poſtquam eum ſumſit ornatum, qui puerperæ conueniebat, foras egreſſa, ſic præcipit ſuis,

Date mihi huc ſtactam atq; ignem in aram, ut Venerem Lucinam meam. & mox,

—fer huc uerbenam mihi, thus, & bellaria.

Ceterùm quod in priore uerſu legitur, *Venerem*, id non de dea ſumendũ eſt, uerùm per precandi uocabulum exponendũ. Nam

Venus

Venus quidem cõceptui potius, quàm partui præeſt. Dixiſſe autẽ antiquos Venero, quod nos Veneror, facilè creditur: præſertim cum etiam Horatius alicubi hoc παθητικῶς uſurparit, ſicut & Comitor Lucretius, quoniam & Comito ueteribus uſitatũ fuit. Lib. 1.

Antiquum oſculandi genus enucleatum.

Cap. 25.

INter ceteras antiquæ uenuſtatis blanditias, quibus ueterum ſcatent comœdiæ, obſeruandum eſt oſculi quoddam genus, quo ſolebant pueri parentes, aut alios, uel amantes inter ſe, alterius auribus apprehenſis, oſculari. Id illi χύτραν, ſiue ollam uocabant: credo, quòd in eo geſtu ut caput ollæ, ita aures anſarũ formã referre uidebantur. Ac Græcum quidem huius rei exemplũ adfert primùm Iul. Pollux lib. decimo, cum de coqui inſtrumentis diſſerens, hæc ἐν παρόδῳ interſerit: εἰδέναι δ' οὐ φαῦλον, ὅτι καὶ χύτρα φιλήματος ἦν εἶδος, ὁπότε τὰ παιδία φιλοίη, τῶν ὤτων ἐπιλαμβανόμενα. ὑποδηλοῖ δ' Εὔνικος ἐν Ἀντίᾳ, λαβοῦσα τῶν ὤτων φίλησον τὴν χύτραν. qui uerſus Latinè ſic reddi poteſt,

Ollam prehenſis oſculator auribus.

Aliud deinde apud Theocritum ἐδοιπόροις inuenimus,

οὐκ ἔραμ' Ἀλκίππας, ὅτι με πρᾶν οὐκ ἐφίλασε
τῶν ὤτων καθελοῖσ', ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.

quod

quod imitatus Ariſtænetus dixit, κἀγὼ τῶν ὤτων λαβομένη, τρίς σε φιλήσω. Necſcio, an huc etiam pertineat, quod apud Eurip. Supplicib. de filia inquit Iphis,

——ἥ γ' ἐμὴν γενειάδα
προσῆγετ' αἰεὶ στόμασι, καὶ κάρα τόδε
κατεῖχε χερσί.——

ſic enim legendum, non χειρί. Quin & Cl. Alexandrinus huius conſuetudinis, etiam ſuo tempore uſitatæ, meminit lib. Stromatum 5. cauſam interim reddens myſticam: οὐκ εἰκῆ τοῖς παιδίοις παρακελευόμεθα, τῶν ὤτων λαμβανομένοις φιλεῖν τοὺς προσήκοντας, τοῦτο δήπου αἰνιττόμενοι, δι' ἀκοῆς ἐγγίγνεσθαι τῆς ἀγάπης τὴν συναίσθησιν, &c. Meminit & Plutarchus initio libelli περὶ τοῦ ἀκούειν: Iam inter Latinos hoc oſculi genus expreſsit primùm Plautus Pœnulo, ubi Milphio meretrici ſic adblanditur,

Sine te exorem, ſine te prendam auriculis, ſine dem ſuauium.

Tum in Aſinaria Leonida ad Philenium inquit,

Prehende auriculis, cõpara labella cum labellis.

Tibullus deinde inter felicis anni euentus hunc quoq; numerat, cum

Et fetus matrona dabit, natusq; parenti Lib. 2.
Oſcula comprenſis auribus eripiet.

Malè enim legit uulgò, cõpreſsis nari-

bus. Deniq; apud Italos hodieq; iſtum oſcu landi morem in uſu eſſe, traditur.

Græcum carmen, quo Tiberius eſt uſus, diuinatum. Cap. 26.

TIberium Cæſarem refert Suetonius, nurum Agrippinam, poſt mortem mariti liberius quiddam queſtam, manu apprehendiſſe, Græcoq; uerſu,

Si non dominaris, filiola, iniuriam te accipere exiſtimas?

cōpellaſſe. ita enim uidetur Suetonius hoc carmen, ſi quidē integri ſunt codices, tranſtuliſſe. Quoniam autem huius generis uerſum nondum apud tragicos me reperiſſe noui, ſuſpicari libet, eum ita fuiſſe Græcè pronunciatum,

εἰ μὴ κρατεῖς, τεκνίον, ὑβρίζεσθαι δοκεῖς;

quam ingenij noſtri coniecturam ſi cui probabimus, neſcio: nobis certè non diſplicet.

Euripidis locus emendatus. Cap. 27.

APud Eurip. Ione Senex deprehenſa, ut putabat, Xuthi libidine ac perfidia, Creuſam docet, quod fuerit illius conſilium, cum ad oraculum Delphicum proficiſceretur. Ille, inquit, cum ſciret hunc iuuenē quē olim in hac regione locauerat educandum, ad pubertatem iam perueniſſe: uoluit Apolli-

Apollinem de liberis tecum conſulere, cum id haberet propoſitum, ut ſi quidem res minus ſuccederet, Deo culpam tribueret: ſin quod uolebat obtineret, regem hunc tandẽ efficeret. quæ poſteriora quoniam duobus in locis corrupta ſunt, ijs opem ferre conabimur, ſi Græcam lectionem prius propoſuerimus.

κἄθ' ὁ θεὸς οὐκ ἐψεύσαθ', ὅδ' ἐψεύσατο,
πάλαι τρέφων τὸν παῖδα. κἄπλεκε πλοκὰς
τριάσδ'. ἀλοὺς μὲν ἀνέφερ' εἰς τὸν δαίμονα,
ἐλθὼν δὲ, καὶ τὸν χρόνον ἀμυνέσθαι θέλων,
τυραννίδ' αὐτῷ περιβαλεῖν ἔμελλε γῆς.

Primũ ergo primus uerſus ita legẽdus eſt,
κἄθ' ὁ θεὸς οὐκ ἐψεύσαθ', ὅδε δ' ἐψεύσατο.
id quod longam demonſtrationem requirere non arbitror. Deinde pro ἐλθὼν lego ἑλών. id enim uidetur hoc loco poni concinnius. Similem quoq; adferam ex Ariſtide locum, ſcriptore omnium, niſi uehementer fallor, ἀττικωτάτῳ. Siquidem is in oratione ea quam contra proditores myſteriorum, ſeu ineptos hiſtriones habuit, ita de illis ſub initium loquitur; ἀλλ' οἶμαι κομψοί τινές εἰσιν, καὶ διπλᾶ κρούουσιν, ἵνα ἐὰν μὲν ἕλωσι, ταύτῃ κεκρατηκότες ὦσιν· ἂν δὲ φωράσῃ τις, ἔχωσιν ἀναχώρησιν, &c. quæ cum illis collata, mirum quantum lucis adferant. Dicuntur autem ἑλεῖν in iudicijs, qui cauſa non cadunt.

Virgilij carmen emàculatum, & alterum explicatum. Cap. 28.

POſtquàm dixit Aeneam Poeta lib. poſtremo, cum ſuis ad urbem tendere, muriſq; conſcenſis, ignem in tecta iaculari, ſubdit,

Regina ut tectis uenientem proſpicit hoſtem,
Incendi muros, igneſq; ad tecta uolare, &c.

quo in loco ſi quis erit emendationi locus, libenter pro *Incendi*, legerim Inſcendi. hoc enim quanto ſit commodius, cuiuis per ſe perſpicuum fore confido. Nam & paulo antè ſic hæc duo coniunxerat,

Scalæ improuiſò, ſubituſq; apparuit ignis.

Iam quod in Melibœo dixit,

Strata iacẽt paßim ſua quæq; ſub arbore poma:

non omnes fortaſſe, quamuis facillimum uideatur, intelligunt. Neq; enim ita loquitur, Sub arbore iacent poma ſua quæque: quod ineptum eſſet: uerùm ita, Poma ſub arbore ſua quæq; iacent. Itaq; *ſua* dicitur auferendi caſu nec tam *ſua* Virgilius, quàm Sa ſcripſit. id autẽ pro Sua poni, ut & Sos pro Suos, docet ex Ennio Feſtus.

Euripidis Helena, & alter Heraclidis uerſus caſtigatus. Cap. 29.

O Τε σὺ τὸ πατρίδος ἄπο, περὶ
χθόνα μάτων πνοαὶ
πέρας ἐς πέρας, ἀλλ'

ἐριν

ἔξελν δαναῶν νεφέλας
ἐπὶ ναυσὶν ἄγον,
εἴδωλον ἱερὸν ἥρας.

Verba ſunt Chori, de ſimulacro Helenæ, quod Iuno Paridi obtruſerat Troiam reportandum, uera interim Helena in Aegyptum ad Proteum delata. Hanc enim hiſtoriam ſequitur Euripides, autore Steſichoro, & Lycophron: quanquã nonnihil eſt inter utrũque diſcriminis, ut alibi docuimus. Quod autem ad uerba attinet, in ijs magna latet in ipſo limine menda. Nã pro *σὺ τὸ*, legendum eſt una uoce *σύτο*, proruit, ſeu profectum eſt. Et quemadmodum hic locus coniunctione uocum ſanari debet, ita rurſum alius in Heraclidarum choro per diſiunctionem uocis unius corrigi. Quare cum ſic legatur,

δεινὸν μὲν πόλιν ὡς μυκήνας
εὐδαίμονα, καὶ δορὸς
πολυαίνετον ἀλκᾷ
μηνῶιν ἐμὲ χθονὶ κατελθεῖν,

pro *μῆνιν*, lego *μή νιν*. & quamuis alia quoque fortaſsis corrigenda ſint, de hac interim diſiunctione ne dubitandũ quidẽ crediderim,

Horatij locus reſtitutus.

Cap. 30.

EXtrema ſat. 7 li. poſterioris ait Dauus, *Illuſiq; pedes uicioſum ferre recuſant Corpus.* de quibus uerbis primum uereor ut inte-

grum ſit. Nam quòd hoc ita quidã, quẽ nominare nolim exponit: *quoniam uentriculus cruditate laborans, munere ſuo fungi nequit, atque ita pedes alimento ſuo deſtituuntur:* ipſe uidetur lectoribus illudere uoluiſſe, &, quod ait orator noſter, τῆς χεαῶσιν ἐξούλης ὄφλειν. Equidem ſi liceat, auſim Illiſiq; legere. Etenim cum homines ebrij ſæpius inter ambulandum impingant, ea res pedes eorum neceſſariò fatigat, ac debiles reddit. Nec enim de cibo tantum heic loqui Horatium, ſed etiam uinum cõplecti, demonſtrãt apertè ſequentia. Quanquam etiam hoc modo pedes illudi poſſent uideri.

GVLIELMI CANTERI NOVARVM LECTIONVM LIBER Septimus.

È M. Antonino mendæ duæ ſublatæ. Cap. I.

M. Aurelius Antoninus, imperator optimus, atq; idem philoſophus tãtus, ut hoc meruerit proprium cognomen, quatuordecim conſcripſit de officio ſuo libros, maximæ pietatis, humanitatis, temperantiæ, eruditionis, aliarum rerum præclararũ teſtes pleniſsimos: & cum quibus multorum

torum philoſophorū operoſa præcepta col lata, meritò ſordere poſsint. Quocirca nemo, ſpero, malè collocatū tempus putabit, quod in eius operis lectionē ſtudioſè quondam impendimus, cum ex ea præter cetera fructum hunc retulerimus, quòd ex multis uicioſis locis duo ſaltem dextro, ſi dicere licet, Aeſculapio ſanauimus. Ac primùm ſub finem primi lib. ait, τὸ μὲν ἐπὶ πλέον με προκόψαι ἐν ῥητορικῇ καὶ ποιητικῇ καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπιτηδεύμασι. repetitur autē ἀπὸ κοινοῦ, παρὰ τῶν θεῶν ἔλαβον. Sed pro μὲν, ego μὴ legendum affirmare non dubito. Nam ideo mox ſubiūgit hæc, ἐν οἷς ἴσως ἂν κατεσχέθην, εἰ ᾐσθόμην ἐμαυτὸν εὐόδως προϊόντα. Quodſi, inquit, in poeticis & oratorijs ſtudijs feliciter progreſſus fuiſſem, nemo me inde retrahere, & ad maiora perducere facilè potuiſſet. quocirca dijs gratias ago, quòd in ſtudijs illis non nimis magnum feci profectū, nec ea nimis adamare cœpi. Nec iniuria Imperator. Nam ut in homine priuato tolerari fortaſsis queat, ſi natura iubēte, ſuppetente ocio, aſpirāte fortuna, iucunda Muſarū ſtudia paulo diutius colat, & ameniſsimas Sirenas, quæ tamen nō dent ſine mente ſonū, attētius ac pertinacius auſcultet: ita nō poteſt is, quē ad res maximas gerēdas, ac totius Vniuerſi curā natura progenuit, aliò cogitationes omnes ſuas, quàm

ad eum ſcopũ dirigere, & ut illum aſſequatur quamcitiſsime, non omnem operã dare. Sed iam ad alterum pergamus locum. In fin. lib. ſexti hanc adfert ſimilitudinem: *εἰ κυβερνῶνται οἱ ναῦται, ἰατρεύονται οἱ κάμνοντες κακῶς ἔλεγον, ἄλλῳ τίνι αὖ προσεῖχον, ἢ πῶς αὐτὸς ἐνεργοίη τὸ τοῖς ἐμπλέουσι σωτήριον, ἢ τὸ τοῖς θεραπευομένοις ὑγιεινόν.* Quemadmodũ, inquit, ſi nautę gubernatori, aut ægroti medico maledicerent, non facilè alium auſcultarent, nec uel ille uectorum ſalutem, uel hic ægrotantium ſanitatẽ procurare poſſet: ita cum quis alius nunquam alteri benę & rectè monenti parere conſilium capit, is nõ temerè uel rectum uitæ curſum tenere, uel poſt errorẽ in uiam poſsit redire. Verùm, quod penè oblitus erã, pro *κυβερνῶνται* & *ἰατρεύονται* legendũ eſt *κυβερνῶντα καὶ ἰατρεύοντα.* quod cũ nõ animaduertiſſet interpres, alioqui doctiſsimus, quiq; paucos hac ætate pares habet, alienũ planè ſenſum commentus eſt. Sed profectò homines omnes ſumus, & erramus facillimè: nec reperitur hoc ſęculo quiſquã, qui ſęcurus poſsit mediũ Momo digitũ oſtẽdere.

Plauti quædam tranſpoſita.

Cap. 2.

VT olim loca Terentij nonnulla, perſonis ex fide manuſcripti codicis tranſpoſitis, illuſtrauimita nũc in Plauto, ſi qua fa-

uet ingenio fortuna, facere meditor. In Moſtellaria cum dixiſſet improba Scapha,
Eho mauis uituperari falſo, quàm uero extolli?
reſpõdet Philematiũ, alioqui proba mulier,
Equidem pol uel falſo tamen laudari multò malo,
Quàm uero culpari, aut alios meã ſpeciem irridere.
Ego uerum amo, uerũ uolo mihi dici, mendacẽ odi.

Horum uerſuum duo primi quàm tertio male conueniant, quis non uidet? Deinde hoc Philematij moribus & reliquis dictis prorſus repugnat, ut uideri quàm eſſe pulcra malit: cum paulo antè ad eandẽ Scaphã dixerit, *Nolo ego te aſſentari mihi*. Quid igit.? Equidem uerſus duos priores ad Scapham retulerim, poſtremo Philematio reſeruato, cum & illi Scaphæ, & hic Philematio conueniat optimè. Sic igitur totũ lego locum:

Eho mauis uituperari falſo, quàm uero extolli?
Equidem pol uel falſo tamen laudari multo malo,
Quàm uero culpari, aut alios meã ſpeciem irridere.
Phi. Ego uerum amo, uerum uolo mihi dici, mendacem odi.

Neq; mirum uideri debet cuiquam hoc commentum: ſiquidem nõ aliter, atq; Græcæ fabulæ, Latinè quoq; ſine perſonis à poetis editæ ſunt, quas pòſt uel librarij ſcripto-

res, uel interpretes addiderint. Nam Græcas quidẽ ita fuiſſe conſcriptas, teſtimonio ſunt Scholiaſtæ, inter quos non raro, cuius perſonæ nomen quibus ſit uerſibus præponendum, concertari uidemus. Ceterũ, quòd ait illa, *Ego uerum amo, uerum uolo mihi dici:* paulo aliter profert, quàm is, ad quẽ Perſius,

Sat. 1. *Et uerum, inquis, amo, uerũ mihi dicite de me.*

Atq; hoc ſit quaſi παροψώνημα.

Euripidis duo uerſus caſtigati.

Cap. 3.

IN Oreſte, dum Oreſtes & Pylades Menelai domum ingreſsi, Helenam conantur interimere, Electra foris manens, iubet mulieres undiq; circunſpicere, ne quis ex Argiuis ſuperueniens, cędem inſtitutam impediat. Inter cetera uerò hoc quoq; ait, ἑλίσσετε νῦν βλέφαρον, κόραισι δίδοτε διὰ βοστρύχων πάντη. quæ cum admodum corrupta ſint, ita poſſe emendari commodiſsimè iudicarim, ſi pro κόραισι δίδοτε legamus κόρας διάδοτε. Nam quod ad uerſum quidem attinet, nihil intereſt, utro modo legas. phraſis huic gemina extat in Phœniſsis, ubi Nuncius de fratribus monomachiã aggreſſuris ita loquitˀ, κἄβλεψαν ἀλλήλοισι διαδόντες κόρας. Iam hęc,

καθαρὰν γὰρ ἢν τις εἰς πόλιν πέσῃ ξένος,
κἂν τοῖς λόγοισιν ἀστὸς ᾖ, τό γε στόμα
δοῦλον πέπαυται, κοὐκ ἔχει παῤῥησίαν.

ſenten-

ſententia eſt ab Ione pronunciata, ſed una fœdata macula, eáq; non tenui, ut arbitror. Nam πέπαυται, quod hoc loco ſenſui penè repugnat, in πέπαται, poſsidet, mutandum cenſeo. Hoc autem negare quis poſsit? Quin etiam ipſum dictum ſic Latinum fecimus:

Nam ſi quis urbem deueniat in liberam
Hoſpes, tametſi ciuis eſt uerbo tenus,
Linguã quidem ſeruã inter urbanos gerit.

Athenienſium magnanimitas, & Ciceronis memoriæ lapſus declaratus.

Cap. 4.

SI quis unquam populus libertatem ſibi ſummo ſtudio párere, partã uiris equiſque, quod aiunt, pertinacíſsimè tueri uoluit, is Athenienſis procul dubio fuit. Nam & primus Græciæ totius imperium, deuictis Græcis & Barbaris, obtinuit: & poſtremus iugum ſeruitutis, quandoquidem nihil eſt in humanis rebus perpetuũ, accepit. cumq; Philippus Alexandri P. reliquos ferè Græcos omnes partim dolis, partim ui ſubegiſſet, Athenas difficillimè capere potuit, cum nec opes mirarentur, & pro libertate mortem oppeterent promtiſsimè. Sed hæc minora. quæ autem cum Perſa geſſerunt, iis profectò, quanti libertatẽ facerent, oſtenderunt planiſsimè. Itaq; cum legatos Darius ad ipſos miſiſſet, qui terram & aquã peterent,

peterent, quibus illi porrectis dominum Perſam agnoſcerent: adeò ſunt eam rem auerſati, ut ne legatis quidẽ ipſis parcerent, quin eos mox in Barathrũ conijcerent: quoniam cum ijs, quos ipſis natura hoſtes conciliarat, nullum ſibi ius putabant intercedere. Nec ſecus cum ijs quos Xerxes decimo pòſt anno miſit, actum quidã putant. Quæ quanquam ſunt magna, maiora tamen de ciuibus ſuis, qui remiſsius libertatem tuebantur, ſumſerũt ſupplicia. Primùm enim, cum Xerxes maximis copijs in Græciam ingreſſus, coràm ea peteret, quę legatis antè negata fuerant: Cyrſilus forte quidam, minis regijs territus, obtemperandum petitioni, Xerxemq; recipiendũ auſus eſt ſuadere. At mox reliqui indignati, cominus ipſum, & uxorem eius mulieres, interemêre. Nec hoc ſatis. Etenim cum, Vrbe iterum capta, legatus ad Athenienſes Athenis poſtremò mitteretur, qui ſocietatẽ ipſorum magnis præmijs Perſæ acquireret: Lycidas quidã ſimiliter, ut Cyrſilus, conditionem accipiendã putauit. At hunc quoq; illi lapidibus, & uxorem eius pariter mulieres, confecerunt. Poſſem plura huius generis exempla recenſere: ſed hæc duo potiſsimùm ſelegi, quia ſunt maximè illuſtria: & Ciceronẽ ea uideo lib. de Offic. 3. confudiſſe, atq; è duobus unum

num feciſſe. Verba quidem eius hæc ſunt: *Athenienſes cum Perſarum impetum nullo modò poſſent ſuſtinere, ſtatuerunt, ut urbe relicta, coniugibus & liberis Trœzene depoſitis, naues cõſcenderent, libertatemq; Græciæ claſſe defenderent: Cyrſilum quendam ſuadentẽ, ut in urbe manerent, Xerxemq; reciperent, lapidibus obruerunt.* At enim Lycidas, non Cyrſilus, eſt is, qui fuit lapidibus obrutus. Cyrſilus enim dicitur à Græcis ἐκ χειρὸς peremtus. id autem idem ſonare, quod Latinè Cominus, exẽpla, ſi quis negabit, probãt. Sic enim Xenophon initio παιδείας, ἔχειν δὲ δεῖ σὺν ἐξιόντας τόξα, &c. εἶτα δὲ παλτὰ δύο, ὥστε τὸ μὲν ἀφιέναι, τῷ δ', ἂν δέῃ, ἐκ χειρὸς χρῆσθαι. & in Hellenicis, πάλιν σὺν τοῖς παραγεγυμνημένοις τῶν πεζῶν ἐνέβαλον, καὶ ἐκ χειρὸς ἐμάχοντο. Itaq; Lycidæ ſupplicium ad Cyrſilum Cicero per incogitantiã tranſtulit. Iam qui de noſtris hominibus Cyrſilũ dixerunt eundem eſſe, quem Lycidam: ſatis inconſideratè locuti deprehenduntur. fuerũt enim hi diuerſi. ac Lycidæ quidem Herodotus, Cyrſili meminit de Corona Demoſthenes. Deinde tẽpora utriuſq; negocij tã diuerſa tradũtur, ut nullo pacto queãt in unũ redigi.

Elegans uerborum, ἤ τις ἢ οὐδείς, uſus explicatus. Cap. 5.

MAgna quadam elegantia Græci, cum quid ab aliquo fortaſſe factũ, uel potius

tius à nemine tentatum uolunt indicare, uocibus his, ἤ τις ἢ οὐδείς, ad eam rem exprimendam utuntur. id quod, quoniam à nemine adhuc animaduerſum uideo, aliquot exemplis declarandum cenſeo. Ac primum apud Herodotum Thalia, cum Syloſon Græcus regem Perſarum debitorem ſuum faceret, ait ille, καὶ τίς ἐστι ἑλλήνων εὐεργέτης, ὃν ἐγὼ προαιδεῦμαι, νεωστὶ μὲν τὴν ἀρχὴν ἔχων, ἀναβέβηκε δέ τις ἢ οὐδείς κω παρ' ἡμέας αὐτῶν. Deinde apud Xenophontem Cyrus ſub finem lib. ſeptimi ſic ait: ἐγὼ γὰρ δήπου ὑμῖν μὲν ὥσπερ εἰκὸς διάκειμαι. τούτων δὲ τῶν περιεστηκότων ἤ τινα ἢ οὐδένα οἶδα. Denique lepidiſsimus orator, Ariſtides, cum in Panathenaica ſua cũ reliquis Græcis Athenienſes cõparat, hæc adfert inter cetera, ἔτι δ' αὕτη μὲν πρὸς ἅπαντας ὁμοῦ πολεμεῖν ἠνάγκασται τοὺς ἐπιόντας ἢ κινοῦντας, τῶν δ' ἐναντίων οἱ πλεῖστοι πρὸς μέρος αὐτῆς ἀντήρκασιν. ἀθρόας δὲ τῆς δυνάμεως ἤ τις ἢ οὐδεὶς ἐπειράθη. Quid qđ apud poetas etiam huius loquendi figuræ reperias exempla. Nam apud Homerũ ait Menelaus;

Od. δ. ἀνδρῶν δ' ἤ κεν τίς μοι ἐρείσεται ἠὲ καὶ οὐκὶ κτήμασιν.

Iterum eod. lib. ait ad Antinoum procorum quidam,

Ἀντίνο', ἦ ῥά τι ἴδμεν ἐνὶ φρεσὶν ἠὲ καὶ οὐκί,
ὁππότε Τηλέμαχος νεῖτ' ἐκ Πύλου ἠμαθόεντος.

Apud Ariſtophanem quoq; Senex in fine Veſparũ inquit, φησὶν τὶς, ἢ οὐδείς; nec enim

pũtabat

putabat fore quenquã tantis animis, ut cum ipſo certamẽ auderet ſuſcipere. Denique non uidetur hinc abludere, ut hoc ad extremum addam, illud Perſij principium,

Quis leget hæc? min tu iſtud ais? nemo hercule, nemo. Vel duo, uel nemo.——

Verùm hæc ad id quod uolebamus, oſtendendum ſufficiunt.

Circa Veſtales obſeruati ritus origo tradita. Cap. 6.

QVod in Veſtalibus deprehenſis obſeruabant inter cetera Romani, ut eas uiuas quidem defoderent, panem tamen & lac ſub terra, ne fame necari uiderentur, apponerent: id ex ritu Græco fluxiſſe animaduerti. Nam illi quoque, ut referunt commentarij Græci, ſolebant, ſi quem uiuum defoderent, cibi nonnihil apponere, ne uiderentur eum inedia confeciſſe, quod quidem piaculi loco ducebaat. Itaque cum Creon in Antigone Sophoclis, de uirgine pia impium parat ſupplicium ſumere, ait:

ἄγων ἐρῆμος ἔνθ' ἂν ᾖ βροτῶν στίβος,
κρύψω πετρώδει ζῶσαν ἐν κατώρυχι,
φορβῆς τοσοῦτον ὡς ἄγος μόνον προθείς,
ὅπως μίασμα πᾶσ' ὑπεκφύγοι πόλις.

Apparet hinc, quantum cibi, & quare apponi Rex uoluerit. Quid quod etiã noſtro tempore qui in eas cryptas, unde negant redire

dire quenquam, dimittuntur, & quodam modo uiui defodiuntur, iis uiaticum panis, & candelæ particula præberi ſolet. Vides, lector, à Græcis ortam conſuetudinem, per Romanos, ad nos deniq; traductam ſeruari.

Plutarchi locus, & alter Diodori Sic. correctus. Cap. 7.

Lib. 3 cap. 4. CVm docet in Sympoſiacis Plutarchus, feminas uiris eſſe calidiores, à ſepultura ducit argumentũ inter cetera, quoniã ſandapilarij cũ decem uirorũ cadaueribus unum coniungant muliebre, quod reliqua ſua pinguedine tanquam fomite conſumat. Sed hæc quia Græcè ſatis corruptè leguntur, id emendare prẹſtabit. Itaq; Plutarchus ait: τρίτον τοῦτο τὸ περὶ τὰς ταφὰς αἱ * ερα τὰ θήλεα τῶν ἀῤῥένων εἶναι. λέγεται γὰρ ὑπὸ τῶν σκευωρουμένων τὰ μὲν συντίθεσθαι, παρὰ ἢ καὶ νεκροὺς ἀνδρῶν ἕνα γυναικὸς, καὶ συνεξείπτιν, δαδώδες τι ἐλιπαρὸν αὐτῶν τῆς σαρκὸς ἐχούσης, ὥστε ὑπέκκαυμα γίνεσθαι τῶν ἄλλων. Verùm ex his, niſi aliter legantur, is, quẽ nos è Plutarcho protulimus, elici ſenſus nequaquam poteſt. Quare primùm lacunã ſic expleo: τὸ περὶ τὰς ταφὰς, αἳ δεικνύουσι τῶν σωμάτων θερμότερα τὰ θήλεα τῶν ἀῤῥένων εἶναι. Nã tale quid omnino deſiderari, libenter aſſeuerem. Iam reliqua ſic emẽdo: συντίθεσθαι παρὰ δέκα νεκροὺς ἀνδρῶν ἕνα γυναικὸς, καὶ συνεκσηπτιν, &c. hoc enim ſenſus poſtulat,

lat, nec uerborum ſimilitudo reijcit. Nec aliter ferè Macrobium poſtremo Saturnal. libro, quem totum propemodum à Plutarcho mutuatus eſt, legiſſe poſtea comperi. Et quoniam heic pro ἢ καὶ repoſui δέκα, ſimilis iam coniecturæ uenit in mentem, quam in Diod. Siculo non ita pridem feci. Nam is cum de Epaminonda loquitur, eum Thebanis, ut maris imperium capeſſerent, autorem fuiſſe, hæc eũ refert inter cetera dixiſſe, *καὶ γὰρ ἀθηναίους ἐν τῷ πρὸς ξέρξην πολέμῳ διακοσίαις ναυσὶ διαπληρῶντας, λακεδαιμονίοις ἢ καὶ ναῦς παρεχομένοις ὑποτετάχθαι*. quo in loco ſimiliter pro ἢ καὶ, δέκα reponendum conſentit hiſtoria, nec negat prioris in Plutar. mendæ correctio.

Antiquum in Horatio uocabulum reſtitutum. Cap. 8.

S*Curra Volanerius*, inquit Horat. *poſtquam* Sat. 7. lib. 2.
illi iuſta chiragra
Contudit articulos, qui pro ſe tolleret, atq;
Mitteret in pyrgum talos, mercede diurna
Conductum pauit.——

At pro *pyrgum* legebatur in duobus libris uetuſtiſsimis Phimum: nec ab ea ſcriptura uidetur abhorrere Porphyrio, ſi quidē antiquis codicibus eſt fides habenda. Meminit autem huius uocabuli Iul. Pollux duobus in locis. Ac primùm lib. 10. ſub cap. 31. ait. κυ

ϐὄτε σκέλη, ἄϐαξ, κόσκινος, κύϐος, ἀσράγαλος, φιμοὶ, κημοὶ, &c. Iterum lib. 8. coniungit κημοὺς, φιμοὺς, κύϐους, &c. Nam altera quidem huius uocis notio huc non pertinet. Nunc iudicent, utrum legere malint, doctiores.

Platonis locus emendatus.

Cap. 9.

DE Rhetorica diſputans cum Phædro Socrates, negat ad eam perdiſcēdam uulgarem ſufficere methodum: quoniam omnes artes magnę ſublimem quandam ſcientiã naturæ requirant, ex qua perfecta & magnifica uis illa dicendi exiſtat. hac enim ratione præcipuè Periclem ſummum oratorem euaſiſſe, poſtquàm Anaxagoræ philoſopho operã dediſſet. Quod autem de Anaxagora dicit, hoc eſt: προσπεσὼν γὰρ οἶμαι τοιούτῳ ὄντι ἀναξαγόρᾳ, μετεωρολογίας ἐμπλησθεὶς, καὶ ἐπὶ φύσιν νοῦ τε καὶ ἀνοίας ἀφικόμενος, ὧν δὴ πέρι τὸν πολὺν λόγον ἐποιεῖτο ἀναξαγόρας, ἐντεῦθεν εἵλκυσεν ἐπὶ τὴν τῶν λόγων τέχνην τὸ πρόσφορον αὐτῇ. Sed in his uerbis uiciũ hæret non leue, nec ab interpretibus animaduerſum. Nam pro νοῦ τε καὶ ἀνοίας, conſtanter aſſeuero legendum νοῦ τε καὶ διανοίας, ut ſenſus poſtulat. Nec aliter in Gorgia, cum de adulatione loquitur, pro τῷ ἡδίστῳ θηρεύει τὴν ἄνοιαν, legendũ διάνοιαν. atq; ita uidentur etiam interpretes heic legiſſe, cum in altero loco turpiter erraſſent.

Alienus è Plauto uerſus eiectus. *Cap.* 10.

QVanquam ſæpe accidere memini, ut in poetis, præcipuè Græcis, aliquot è ſcholijs uoces in contextum reciperentur, atque etiam illum loco exturbarent ſuo: nec pauca nos eius rei teſtimonia hoc in opere conſignata reliquimus: ut uerſum tamen integrum ex annotationibus aſſutum reperirem, id uerò nunquam me uiſurum putaui. Sed quid? ὐδὲν ἀπώμοτον. Cum enim nuper Truculentum Plautinam legerem, carmen totum è ſcholijs alicuius in ipſam fabulam irrepſiſſe deprehendi, quo uidelicet ad tot tantaque huius fabulæ menda hic quoque næuus non exiguus accederet. Sed ne diutius teneã: Dinarchus adoleſcens initio comœdiæ, poſtquàm amantium miſeriam & neceſſariam prodigalitatem expoſuit, ſubiungit, ut in libris habentur, hæc uerba:

Nã mihi hæc meretrix, quæ heic habet, Phroneſiũ,
Suum nomen omne ex pectore exmouit meo,
Phroneſium. nam phroneſis eſt ſapientia.

Sed, per omnes literas, quis hunc poſtremũ uerſum temerè huc negarit inculcatum? aut quid potuit ineptius, inconcinniusúe dici? Quanquam enim ſolet nonnunquam Plautus dicta quædam ſua, quæ ſunt obſcuriora, ipſus interpretari: at hoc difficulta-

tem tantã non habebat, quín ab eo qui uel à limine, quod aiunt, Græcam literaturam deguſtaſſet, facilè poſſet intelligi. Deinde cum annotaſſet ſcriba ad poſteriorem uerſum hæc: *Phroneſiũ. nam phroneſis eſt ſapientia*: quæ ad explicationem uerborum, *Suum nomen*, pertinerent: atque hæc annotatio non malè uideretur in uerſum poſſe cadere: tum inſcitia deſcribentis factum eſt, ut è ſcholio uerſum fecerit. Atq; ita me omnes ament perpetuò docti, ut hũc uerſum meritiſsimò me ξενίας καταγνῶναι confido, neq; cuiquã eius cauſa unquã iure ἐξούλης ὀφλήσειν arbitror.

Sophoclis chorus emaculatus.

Cap. II.

In Oedip. Colon. CHorus Atticus apud Sophoclem animaduertens Oedipi miſeriam, qui ex rege cæcus erro factus eſſet: Polynicis quoque cladem, quem pater diris erat proſecutus, regnante interim Thebis Eteocle: regiarum deniq; filiarum ærumnam immenſam: tum, inquam, chorus ſententiam ſuam, ut ſolet, interponẽs, uim & poteſtatem temporis agnoſcere ſe fatetur, cuius decurſu nunc hæc, nunc illa in ſublime euehantur. Sed quid ſi uerba proponamus ipſa, quãdo quidem correctionẽ requirunt. ὁρᾷ ὁρᾷ ταῦτ᾽ ἀεὶ χρόνος· ἐπεὶ μὲν ἕτερα, τὰ δὲ πήματ᾽ αὖθις αὔξων ἄνω. Ac primum pro πήματα, quod meri-

tò

tò cuiuis ſuſpectum poſsit eſſe, reponendũ eſt παρ' ἦμαρ, quomodo Scholiaſtem antiquum (nam Demetrium quidem in hac tragœdia uidemur deſiderare, quanquã non caremus nomine) legiſſe conſtat. Nec aliter uerſus poſtulat, ſi cum pari conferatur: tamen ut non ſyllabarum maior habeatur, quàm temporũ ratio, quod in Pindaro quoque metiendo præcipiunt grammatici. Iam quem Scholiaſtes tenet conſecutionis ordinem, ἐπεὶ ὁ χρόνος ὁρᾷ ταῦτα (quanquam pro ταῦτα & altero ὁρᾷ legit ὁρᾷ τά τε) ἕτερα μὲν αὔξων αὔω, τὰ δὲ παρ ἦμαρ αὖθις: in eo mihi nequaquam placet, quoniam aliud etiam in uerbo ἐπεὶ ſubeſſe ſuſpicor uicium: &, ſi liceat unã mutare literam, pro ἐπεὶ legerim ἐκεῖ, quod nec uerſui nocebit, & ſenſum atque conſecutionèm iuuabit mirificè. Nam quod uulgò dicimus, per tempus nunc hæc nunc illa extolli, depreſsis alijs: id his uerbis exprimetur pulcerrimè. Neque minus, credo, mihi licebit ἐπεὶ in ἐκεῖ uertere, quàm Aurato, uiro doctiſs. quondam licuit in eodem poeta, idque maximo doctorum applauſu, idem pro ἔχει ſubſtituere. Verſus autem iſti erant, initio Philoctetis,

ἅ μοι προσελθὼν σῖγα σήμαιν', εἴτ' ἔχει
χῶρον πρὸς αὐτὸν τόνδ' ἔτ', εἴτ' ἄλλῃ κυρεῖ.

Aliquot è Terentio menda ſublata.

Cap. 12.

QVod in Andria Dauus ait,

——Myſis, nunc opus eſt tua

Mihi ad hanc rem expromta memoria atq; aſtutia:

id calamo exaratus codex ita habebat, Expromta malitia atq; aſtutia. id quod paulo concinnius uidetur. Quod autem in Eunucho eſt,

——nunc ubi meam

Benignitatem ſenſiſti in te claudier?

idem liber habebat, Sēſiſti intercludier? de quo iudicet lector. At quod in Heaut. legitur,

——nam parentum iniuriæ

Vniuſmodi ſunt fermè, paulo qui eſt homo tolerabilis:

id antiquus codex profectò melius habebat, pro *Vniuſmodi* legens Huiuſmodi. Nam qui parentes, inquit, aliquo ſunt modo tolerabiles, eorum ferè eſt huiuſmodi ſeueritas, ut ſcortatores & conuiuatores nimios non facilè ferant. Iniuria enim heic pro ſeueritate ponitur: ſicut infrà,

——matres omnes filijs

In peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria

Solent eſſe.

Similiter quod in eadem fabula inquit Soſtrata,

Quanto

Quanto tuus eſt animus natu grauior, ignoſcentior: melius habebit ſe, ſi legamus Innocentior, eiuſdem codicis fidem ſecuti. Iam in Adelphis Mitionis hæc uerba ſunt,

Placo, cum aduerſor ſedulò, & deterreo:
Tamen uix humanè patitur. ——

Ibidem autem legebatur melius, Tamen inhumanè: ut alterum uideatur expoſitio quondã fuiſſe. In eadem quærit Aeſchinus, *Quid? iam'ne uxorẽ? M. Iam. A. Iam? M. Iam quantum potes.*

Verùm heic Poteſt eodem teſtimonio legendũ. Nam ita ſępe loquitur Plautus, de quo multa Terentius eſt imitatus. Similiter præterea dixit in Phormione,

Nunc ipſo eſt opus, aut, ſi quid poteſt, meliore.

Cicero quoq; ad Lentulum: *Nos in ſenatu dignitatem noſtram, ut poteſt in tanta hominum perfidia & iniquitate, retinebimus.* Atq; hæc à nobis in Terentiũ ſint collata: quę quamuis uidentur minuta, quoniã tamen hic poeta tam lepidus & elegans eſt, non debet omnino, quicquid ad eum illuſtrandũ pertinet, ſuperuacuũ uideri. & alioqui, quod inquit Plato, οὐκ ἄνευ σμικρῶν τοὺς μεγάλους φασὶν οἱ λιθολόγοι λίθους εὖ κεῖσθαι.

Euripidis aliquot loci expoſiti.
Cap. 13.

INeptarum interpretationũ exempla duo

 lepidiſſi-

lepidiſsima uidere qui uolet, hanc primùm cōſideret Euripidis ſentētiam: *θεοί γ' οἱ κρείσσους, οἵτ' ὀλβοφόροι, τοῖς οὐκ εὐδαίμοσι τῶν θνατῶν.* quam alij ſic expreſſerunt, *Dij ſunt potētiores, quiq; ſæpe homines ditant ac locupletant, quos tamen idcirco felices exiſtimare non debemus:* alij uerò hoc modo, *Dij uerò nunc plus ualent opibus humanis, nunc infelices ac depreſſos benignâ ſubleuant ope.* Iam quod inquit ad Agamenonem Clytæmneſtra, cum ab eo, qua in re læſa fuiſſet, eſſet interrogata,

ὁ νοῦς ὅδ' αὐτὸς νοῦν ἔχων, οὐ τυγχάνει:

hoc, inquã, illi rurſum ſic interpretati ſunt, *Vafro animo, cum altero fraudulento ingenio negocium habenti res non ſuccedit:* hi uerò Euripidis etiam ſcripturã emendare conati ſunt, idq; tam inſulſe, ut proferre pudeat. Sed hęc hactenus. nunc ut ad priorem locum redeamus, is omnium facillimus eſt, ſi rectè intelligatur. Quemadmodum enim Deus non tam naturæ cuiuſdam ſingularis, quàm autoritatis, potentiæ, & beneficentiæ nomen eſt (id quod pluribus explicare nō eſt opus) ita dicit hic chorus, eos qui potentes ac diuites ſint, à pauperib. pro dijs haberi & coli. Ac ſimiliter ferè in Hippolyto inquit famula ſub initium,

——θεοὺς γὰρ δεσπότας καλεῖν χρεών.

Alter locus paulo quidē difficilior eſt, non tamen

tamen prorſus inexplicabilis. Nã cum Agamemnon, diſsimulata perfidia ſua, quereret ex uxore, qualem ſibi iniuriam factam putaret: reſpondet illa: hoccine ex me quæris? iſtud uerò conſilium tuum omni caret conſilio. ſiquidē hic uerus eſt huius loci ſenſus. Nec Gręca uerba ſic ordinanda ſunt, ὁ νοῦς νοῦν ἔχων, οὐ τυγχάνει: ſed ſic, ὁ νοῦς νοῦν οὐκ ἔχων, ſiue νοῦ στερηθεὶς τυγχάνει. Sed nō poſſum profectò, quin alios inſuper duos ex eiuſdem poetæ Hercule uerſus æquè obſcuros breuiter exponam. Cum enim ad Herculem uxoris ac liberorum cæde pollutū Theſeus acceſsiſſet, querit is ex ipſo, num quem uidiſſet unquam, qui cum maioribus conflictaretur malis. Heic Theſeus in aduerſam fortunam exclamans, reſpondet,

ἅπτει κάτωθεν οὐρανοῦ δυσπραξία.

quaſi diceret, mirum non eſſe, ſi quis in terris degens, infelix uideretur: cum ea res tam ſit communis, ut etiam deos ipſos, à terrenis exorſa, contingat. Atq; hoc eſt, quod paulo pöſt inquit idem Theſeus,

οὐδεὶς δὲ θνητῶν ταῖς τύχαις ἀκήρατος, οὐ θεῶν, &c.

Quæ cum ita plana ſint, quales tandem cenſebimus interpretes eos, qui uerſum primum ita uerterunt, *Læderis inuecta cælitus calamitate.* Hoc uerò fumos eſt uendere. Verùm hoc non ſuffecit, niſi eâdem quoq; dex

teritate ſequentem Theſei uerſum peruerterent. Etenim cum ſubiecíſſet Hercules, ideo ſe mortem ſibi uelle cõſciſcere: reſpondet iterum alter,

δοκεῖς ἀπειλῶν μέλλειν τὶ δαίμοσιν;

quo in uerſu primùm deeſſe uidetur prouocabulum *σῶν* poſt *ἀπειλῶν*, ut carmen ſit integrum. Deinde ſenſus ipſe tam apertus eſt, ut nunquam crediderim fore, qui eum non aſſequerentur, niſi iidem belli interpretes eum ſic expreſsiſſent, *Videris dijs aliquid minari.* At hic erat uerus,

Num dijs tuas credis minas curæ fore?

hoc enim carmen propemodũ necopinanti excidit.

Ciceronis in Lælio locus caſtigatus. *Cap.* 14.

CVm docet in Lælio Cicero, quatenus amor in amicitia progredi debeat, ualde monet eleganter, ne quis amicitię cuiuſquã tantũ tribuat, ut eius cauſa uirtutẽ & officium negligat. fieri enim ſæpe per hominum uicioſitatem, ut etiam ea quæ minimè ſint honeſta, ab amicis quaſi pro iure ſuo petere ſuſtineant. alioqui ſi perfectam omnes haberemus ſapientiam, nunquam dubitandum fore, quin amicis eſſent omnia concedenda. Sic igitur ait: *Quodſi rectum ſtatuerimus uel concedere amicis quicquid uelint, uel impetrare*

petrare ab his quicquid uelimus, perfecta quidem ſapientia ſimus, ſi nihil habeat res uicij. Sed ex his uerbis non poteſt is commodè, quē nos tradebamus, elici ſenſus. Nō enim tam, cum nihil haberet res uicij, perfecta iure diceremur eſſe ſapiētia: quàm, ſi perfecta eſſemus ſapientia, nihil iure res uicij haberet. Quare ſic legenda poſtrema cenſeo, Perfecta quidem ſapiētia ſi ſimus, nihil habeat res uicij. quā lectionem confirmant etiā hæc ſequen tia: *ſed loquimur de ijs amicis, qui ante oculos ſunt, quos uidemus,* &c. quæ quidem ſuperioribus opponūtur. Atq; hoc illi geminū eſt, quod primo de Offic. dixit: *Quoniam autem uiuitur non cum perfectis hominibus, pleneq; ſapientibus: ſed cum ijs, quibus præclarè agitur, ſi inſunt ſi mulacra uirtutis,* &c. Vtrobiq; enim uſum communem ſpectandum, & ſecūdum eum præcepta danda, rectè cenſet uir ſapientiſſimus.

Thucydides emendatus, & expoſitus.
Cap. 15.

IN militaribus ſtratagematis, ac præcipuè nauticis, hoc etiā à ſagacibus impera toribus obſeruatum comperi, ut prœlium nō niſi uento coorto inciperent, cùm alijs, credo, de cauſis, tum ut facilius hoſtium naues hoc adiumento diſſipare poſſent. Ac Themiſtocles primùm in illa nobili Salami

nia

nia contra Perſam pugna hoc præſidio nõ parum profecit, quemadmodum & in loco prœlij deligendo, ac reliquis captandis cõmoditatibus, præclarè Græcorũ ſaluti conſuluerat. Poſt hunc Phormio, dux item Athenienſiũ, Corinthios ad Naupactũ eodẽ ferè conſilio deuicit, quorũ alioq; naues erãt multo plures. Verùm heic, ut ſæpe alibi, τῆς δυνάμεως ἡ φρόνησις περιεγένετο. Nolebat enim Phormio prœliũ prius cõmittere, quàm uẽtus eſſet exortus. ἤλπιζε γὰρ, inquit Thucyd. αὐτῶν οὐ μενεῖν τὴν τάξιν, ὥσπερ ἐν γῇ πεζὴν, ἀλλὰ ξυμπεσεῖσθαι πρὸς ἀλλήλας τὰς ναῦς, καὶ τὰ πλοῖα ταραχὴν παρέξειν. εἴτ᾽ ἐκπνεῦσαι ἐκ τοῦ κόλπου τὸ πνεῦμα, ὅπερ ἀναμένων τε περιέπλει, καὶ εἰώθει γίγνεσθαι ἐπὶ τὴν ἕω, οὐδ᾽ ἐνα χρόνον ἡσυχάσειν αὐτούς. Sed hic locus aliquantum difficilis eſt, ſi ſic legatur: quanquã hoc Vallam, & eius correctòres latuit, niſi quod alter ὅπερ ſuper eſſe credidit. falſò. Nam pro ἐκπνεῦσαι legendum eſt ἐκπνεύσαν, quod pro ἐκπνεύσαντος Atticè ponatur. Hic ergo uerborum eſt ordo: ἤλπιζε τὴν τάξιν οὐ μενεῖν, ἀλλὰ τὰ πλοῖα ταραχὴν παρέξειν, εἴτ᾽ ἐκπνεύσαντος τοῦ πνεύματος ὃ ἀναμένων περιέπλει, καὶ εἰώθει ἐπὶ τὴν ἕω γίγνεσθαι· οὐδ᾽ ἐνα χρόνον ἡσυχάσειν αὐτούς.

Plauti locus expoſitus & emendatus.

Cap. 16.

Pſeud. CVm Harpagem leno Plautinus, qui iam

iam ludibrio aliјs fuerat, ipſe ludibrio habere uellet, quaſi rem probè geſsiſſet omnem: & ex eo quæreret inter cetera, quid machæra, quid petaſus mereret, atq; ille reſpondiſſet, ſe ſua hæc habere omnia, ſuoq; emta peculio: ſubijcit Ballio,

——*nempe quod femina ſumma ſuſtinet.*

qui locus quamuis ad bonos mores non multum faciat, quis tamen ullam loci Plautini uel emendationem uel explicationem reijciat? Sed ut breuiter abſoluam, *femina* heic non mulierem, ſed femora ſignificant: quod cum non intellexiſſent nõnulli, Suſtinent, quod rectum erat, in *ſuſtinet* perperam mutarunt. Quã porrò corporis partem ſumma ſuſtineant femina, nemò dubitat. Eam uidelicet innuit, quam Graccho Corneliam dicit prębuiſſe Martialis.

Heſiodus & Homerus ab eodem repurgati uicio. Cap. 17.

IN bonis autoribus quædam cernuntur eius generis menda, quæ ut puſilla ſunt, & cognitu facilia, ita plerunq; non animaduertuntur à pleriſq;, quanquam hoc eis laudi duci non queat. Id ex eo mihi uenit nunc in mentem dicere, quod initio Heſiodi ſic ferè legitur,

ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει.——

cum

cum tamen primo loco non ῥεῖα, ſed ῥέα, ut in ſecundo, legendum ſit. ſic enim in dimenſione contractum, ſyllabam unam longam efficit, & carmen concinnum atq; integrum reddit. Quid quod apud Homerum quoq; in eadem re peccaſſe librarios comperias? Nam Iliad. ρ. hæc de Automedonte pronunciantur,

ῥεῖα μὲν γὰρ φεύγεσκεν ὑπ' ἐκ τρώων ὀρυμαγδοῦ,
ῥεῖα δ' ἐπαΐξασκε πολλὼν καθ' ὅμιλον ὀπάζων.

At heic quoq; in priore uerſu ῥέα legi poſtulat carminis ratio. Iam apud Heſiodum iterum lib.2.legitur,

εἴαρι πολεῖν, θέρεος δ' νεωμένη οὔ σ' ἀπατήσει.

cum ſit ἔαρι ſcribendum. Hæc uerò nō ingenij oſtentandi cauſa, ſed aliorum inertię coarguendæ gratia proferimus.

Virgiliani carminis duplex reſtitutio propoſita. Cap.18.

CVm Alecto prima belli ieciſſet ſemina, nouiq; conflictus immani uoce ſignum dediſſet,

Lib.7. *Deſerit Heſperiā*, inquit Poeta, *& cæli conuexa per auras*
Iunonem uictrix affatur uoce ſuperba.

quibus in uerſibus quid ſibi uelint hæc, *cæli conuexa per auras*, paucos eſſe credo, qui rectè intelligant. Nam quod commentus eſt Seruius, quod ſubiecerunt alij, id profectò refuta-

refutatione nulla indiget. Quocirca facilè mihi propemodũ perſuaſerim, pro *per auras*, unico uocabulo legendũ Peragrans, cuius quidem ab illis duobus diſcrimen unica dun taxat facit litera. Quod ſi cui hęc minus placebit coniectura, aliam proferam, quam uir doctiſsimus, Cornelius Valerius Vltraiectinus, nobiſcũ communicauit. Is etenim Pererrãs legendũ ſibi uideri, apud me quõdam aſſeruit. à qua quidem eius diuinatione nõ abhorrẽt ea quę ſequntur paulo pòſt, Iunonis uerba,

Te ſuper æthereas errare licentius auras,
Haud pater ipſe uelit ſummi regnator Olympi.

Videat nunc acutus lector, utrum malit.

Mendum è Xenophonte ſublatum.
Cap. 19.

CVm aliquando Aſſyrij Medorum fines per uenationem eſſent ingreſsi, & Aſtyages, re cognita, mox cum ſuis accurriſſet: tum Cyrus, qui fortè unà aderat, ut refert Xenophõ, quãuis eſſet ętate ualdè iuuenili, arma tamẽ tũ primũ inducere pro patria non dubitauit. ſic enim ait, ὁ δὲ κῦρος ὁρῶν ἐκβοηθοῦντας καὶ τοὺς ἄλλους πασσυδὶ, ἐκβοηθεῖ καὶ αὐτὸς, πρῶτον τότε ὅπλα ἐνδύς, οὔποτε οἰόμενος. At hoc poſtremum uerbum nemini unquam ſanioris iudicij uiro hoc loco placuit. de qua re dum cogito diligentius, uenit in mentẽ, non

α, παιδί.

non incommodè poſſe legi ἐώμενος uel εἰαμένος, ut ea dicatur arma tum Cyrus induiſſe, quæ prius nunquã ſumere fuerat ſitus. Cum enim nihil ad hunc locũ contuliſſent opis chirographi libri, coniecturę quodam modo fuit indulgendum. Quid quod etiam in Ariſtidis loco quodã ſimiliter εἴα pro οἶδ. & aliud alibi reponẽdum docuimus. de his porrò noſtrum Syntagma conſulendum, quod harum & ſimilium emendationũ cauſam reddit idoneam.

Perſij loca duo reſtituta.

Cap. 20.

IN ultima Perſij ſatyra diues quidam, ut hæredem irritaret, poſtquã triũphi cauſa ſingulos pro ſe magnificentiam exerere ſuam oſtendiſſet, ait ſe dijs hecatomben promittere, & populo donatiuum, ut uocant: Sic igitur ad eum dicit,

Væ niſi conniues. oleum artocreasq́; popello
Largior, an prohibes? dic clarè. non audeo, inquis.

Hoc uerò poſtremum in antiquiſsimo codice ſic legebatur, Dic clarè. haud audeo, inquis. quæ profectò ſcriptura melior eſt, & uoculã *non* ex annotatione aliqua huc irrepſiſſe, nõ obſcurè declarat. Iam apud poetas fieri nonnunquam, ut uocalis non elidatur, quis ignorat? Sed antequã hinc diſcedo, principio huius ſatyræ ex eodem libro re-

medium adferam. Nam quod ibi legitur,

—mihi nunc Ligus ora . Intepet:

melius eſt in illo, mihi Liguris ora. Dicitur autem Liguris ora, Liguria. quanquã ratio quantitatis alteram lectionem tuetur.

Fabularum quarundam binominum ratio tradita: Pollux correctus. Cap. 21.

CVm ex me quæreretur aliquando, cur Hippolytum ſuam Euripides στεφανηφόρον inſcripſerit, cum in ea nihil triumpho uel corona dignum geratur: reſpondi breuiter, quod tum ueniebat in mentem, non eſſe primùm hoc in tragicis nouũ, ut aliquæ fabulæ duplex nomẽ habeant, ad diſcrimẽ impoſitum: deinde coronæ cognomẽ non iniuria poſſe huic Hippolyto tribui, qui ſub initium fabulæ coronam Dianæ, quam colebat unicè, offerat. ait enim,

σοὶ τόνδε πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου
λειμῶνος, ὦ δέσποινα, κοσμήσας φέρω, &c.

quos uerſus elegantiſsimè uertit in Varijs Muretus. Atque hæc tum ferè dixi. Pòſt in Polluce alterius Hippolyti, quæ καλυπτόμενος fuit inſcripta, nomen reperi, quanquam latens, & non ſine caſtigatione erutum. ſic etenim legitur lib. 9. μέρη δὲ πόλεως, &c. καὶ στάσις ἵππων, καὶ ὡς Εὐριπίδης ἐν ἱππολύτῳ, καλυπτομένῳ πρὸς ἵππον, εὐθὺς ὁρμήσας στάσιν. cum ſit ita legendum, καὶ στάσις ἵππων, ὡς Εὐριπίδης ἐν

 ἱππολύτῳ

ἱππολύτῳ καλυπτομένῳ,
——πρὸς ἵππων εὐθὺς ὁρμήσας στάσιν.

Apparet igitur, duos ab Eurip. fuiſſe conſcriptos Hippolytos, quemadmodum Sophocles Oedipos duos dedit, ac totidem Aiaces. Nam, ſi quis hoc forte neſcit, alterũ ſcripſit Aiacem Locrum, ex quo uerſus iſte depromtus eſt, quem Plato duobus in locis falſò tribuit Euripidi,
σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ. id eſt,
Sapientium commercio princeps ſapit.

Similiter Aeſchylus, ut ab ultimo ad primum ueniamus, Prometheũ ter in ſcenam produxit, ſemel *πυρφόρον*, iterum *δεσμώτην*, tertiò *λυόμενον*: quanquam primum Pollux *πυρκαέα* uult uocari. ſic enim ait eod. lib. ſub finem, *ὁ δ' ἐμπρήσας τάχ' ἂν πυρκαεὺς ὀνομάζοιτο κατὰ αἰσχύλον καὶ σοφοκλέα, οὕτως ἐπιγράψαντας τὰ δράματα, τὸ μὲν τὸ προμηθέα, τὸ δὲ τὸ ναύπλιον.*

Ceterùm quod ad Nauplium attinet, is cur *πυρκαεὺς* dictus ſit, indicat hoc uerſu Propertius,
Nauplius ultores ſub noctem porrigit ignes:
& quas ex ea fabula, quantum conijcio, citat *ναυπλίου πάγας ὑπὸ πυρὸς* Ariſtides Eleuſinia.

Cur Plautus latrans nomen Caſinam dixerit, explicatum. Cap. 22.

QVam Diphilus comœdiam *κληρουμένους* ſiue Sortiẽtes uocauerat, eã Plautus

tus Latinè Caſinam inſcripſit. ſic etenim prologus,

——Diphilus
Hanc Græcè ſcripſit. poſt id rurſum denuò
Latinè Plautus cum latranti nomine.

Sed cur heic Caſina nomen latrans dicatur, dubitari poſſe uideo. Mihi ſic uidetur: latrans nomen pro canino ſumi: & quemadmodum apud Ariſtophanem κάρδοπος & κλεώνυμος quodam loco dicuntur eandem uim habere, & apud Ariſtidem θεόδοτος & ῥώσανδρος, quoniam ſimiliter deſinunt: ita Plautum contrà canis & Caſinæ nomen idē ualere comicè dixiſſe, quoniam ab eadem incipiunt ſyllaba. Succurrunt & aliæ huius dicti rationes, ſed quarum nulla æquè, atque ea quam propoſui, placeat.

Ex Athenæo menda duæ ſublatæ.

Cap. 23.

POſtquam Philopatoris nauis magnitudinem & capacitatem explicuit Athenæus, atque eam primùm crate quadam dixit in mare fuiſſe deductam, ſubiungit, ὕστερον δὲ τῶν ἀπὸ φοινίκης τὶς ἐπενόησε τὴν καθολικὴν, τάφρον ὑποστησάμενος ἴσην τῇ νηΐ, &c. Verùm quòd heic exponunt καθολικὴν, uniuerſam rei rationem, falluntur, ni fallor, egregiè, cum ſit καθολκὴν legendum, quemadmodum antè dixerat, καθελκύσθη δὲ τὴν μὲν ἀρχὴν, &c. Iam Lib. 5.

de coturnice femina refert hæc ex Alexandro Myndio Athenæus idem, ἀνατμηθεὶς δὲ περίλοβον οὐχ ὁρᾶται μέγαν ἔχων, καρδίαν δ' ἔχει μεγάλην, καὶ ταύτην τρίβολον. Sed hoc poſtremum proculdubio corruptum eſt, ac reponendum τρίλοβον. Qui ſint autē cordis λόβοι ſiue auriculę, non ignorant naturæ ſtudioſi.

Catulli carmen expoſitum.

Cap. 24.

CONſultus olim fui de uerſibus his in amores Vari Catullianis,

At mi nullus erat neq; heic, neq; illic,
Fractum qui ueteris pedem grabati
In collo ſibi collocare poſſet.

Dixerat enim modò, nō tam malignè ſibi in prouincia fuiſſe, ut octo rectos homines parare non poſſet: id quod cum poſterioribus his uidetur pugnare, ac pugnat re uera, nec tamen idcirco ſecum pugnat Catullus. Nam priora dicebantur ad mulierem, cui ſe uolebat Poeta uenditare: in poſterioribus ad lectorem, uerum fatetur. quæ dicendi ratio de comicis eſt deſumta.

Vocabulum quoddam in Plutarchi Themiſtocle repoſitum. Cap. 25.

POſtquam Salaminiam pugnam in Themiſt. Plutarchus expoſuit, ait Græcos Themiſtocli, cum ad uictoriæ iudicium de uentum eſt, uel inuitos primas detuliſſe. Vt enim

enim ſeipſum quiſque primo loco ſtatuit, quòd erat natura cõparatũ, ut quiſque proximus eſſet ſibi: ita ſecundo poſt ſe, Themiſtoclem. Quo fiebat, ut eundem honorem ſecundo loco Themiſtocles, quem primo, conſequeretur. Verba Plutarchi ſunt, ἐπεὶ γὰρ ἀναχωρήσαντες εἰς τὸν ἰσθμὸν, ἀπὸ τοῦ βωμοῦ τὴν ψῆφον ἔφερον οἱ στρατηγοὶ, πρῶτον μὲν ἕκαστος ἑαυτὸν ἀπέφαινεν ἀρετῇ, δεύτερον δὲ μεθ' ἑαυτὸν, Θεμιστοκλέα. Sed in his uoces deſunt duæ, quas ex Ariſtide ſubſtituemus. Nã ille cũ eandẽ tractat hiſtoriam, ſic ait: καὶ γάρ τοι μετὰ τὴν ναυμαχίαν συλλεγέντων εἰς τὸν ἰσθμὸν ἁπάντων, καὶ φερόντων τὴν ψῆφον ἀπὸ τοῦ βωμοῦ τοῦ Ποσειδῶνος περὶ τῶν ἀριστείων, ἔξεστι μὲν, &c. Itaque uoces apud Plutar. duæ, τοῦ Ποσειδῶνος, poſt βωμοῦ ſunt annectendæ.

Ciceronis locus difficilis, & prouerbium Græcum enodatum. Cap. 26.

IN altera ad fratrẽ Q. epiſtola uerba ſunt hęc Ciceronis: *Cetera fuerunt in eadem epiſtola grauiora, quàm uellem:* ὀρθὰν τὰν ναῦν, *&* ἅπαξ θανεῖν. Quod igitur ſcripſerat Quinctus, ὀρθὰν τὰν ναῦν, id prouerbij ſpeciem habet: quod quia pauci animaduerterunt, nemo adhuc rectè intellexit, breuiter explicandum duxi. Ortum enim habet hoc adagium ex apophthegmate nautæ cuiuſdam Rhodij (ut teſtatur in oratione Rhodiaca noſter

 orator)

orator) qui cum in alto tempeſtate premeretur, & naufragium iamiam facturus uideretur, in hęc tandem uerba prorupit, ἀλλ᾽ ὦ ποτειδᾶν, ἴσθι ὅτι ὀρθὰν τὰν ναῦν καταδύσω. quæ qui putarunt è tragœdia quadam deſumta, Rhodiorum dialectum fuiſſe Doricam non cogitarunt. Verborum autem ſenſus hic eſt: At Neptune rectam, ut ſcias, nauem demergam. Qui enim alium proferunt, eos, ut parciſsimè dicam, fugit ratio. Indicabat autem his uerbis nauta, nihil ſe præter decorum, & quàm res poſtularet, facturũ: uerùm omni ſuo prius ſatisfacturum officio, quàm nauis periret. Atq; hinc ad alios poteſt hoc dictũ referri, qui dum periculoſis funguntur muneribus, nec omnem poſſunt euentum præſtare, officium tamen ſuum à nemine patiuntur requiri: quodq; ſolum poſſunt efficere, id nunquam, donec uiuant, omittunt. Nec aliter uidetur hoc idem Quinctus uſurpaſſe, quàm ut oſtenderet, quamuis in prouincia non rectè ſuccederent omnia, ſibi tamen id imputari non debere, qui nullũ non ad remp. rectè gerendam moueret lapidem: uitamq; mallet profundere, quàm ab officio latum unguẽ, quod aiunt, diſcedere. Quapropter, inquiebat, quemadmodum ſi gubernator nauim non niſi rectam patiatur demergi, id eius fidem & induſtriam compro-

bat:

bat:ita ſi quod accipiet meo tempore detrimentũ reſp. nihilominus hoc illi, dum conſilijs meis recta ſtabit, & à nemine labefacta, continget: ſiquidẽ omnem fortunæ præſtare euentum, meum non eſt. Ac ſimiliter intelligẽda ſunt hęc Senecę uerba: *Qui potuit dicere, Neptune nunquã hãc nauem niſi rectã, arti ſatiſfecit. tempeſtas non opus gubernatoris impedit, ſed ſucceſſum.* Hæc equidem pluribus interpretari ſum coactus, quòd in alium ſenſum hoc dictum à nonnullis tractum fuerat. ὀνόματι γὰρ οὐδὲν δέομαι λέγειν.

Quid apud Platonem ſit Amphionis dictum, oſtenſum: Euripidis uerſus aliquot ex eodem eruti. Cap. 27.

Multa ſanè ſunt in philoſophorũ principe Platone, quæ nemo facilè abſq; poeticarum rerum cognitione aſſequatur. Ac tale quiddam eſt, quod in Gorgia Socrates ait, cupere ſe Callicli Amphionis dictũ pro Zethi dicto reddere. ait enim, ἡδέως μὲν αὖ καλλικλεῖ τούτῳ ἔτι διελεγόμην, ἕως αὐτῷ τὴν τοῦ ἀμφίονος ἀπέδωκα ῥῆσιν, ἀντὶ τῆς τοῦ ζήθου. Quod ut intelligatur facilius, quędam ſunt de Amphione ac Zetho dicenda. Fuerunt hi fratres duo natura, uerùm moribus ita diſsimilibus, ut nihil minus quàm fratres uiderentur; & Ouidij ſententiam,

——fratrum quoq; gratia rara eſt,

optimè confirmarent. Itaque cum Amphion muſicam coleret, Zethus paſtorem agebat, & Muſas aſpernabatur, ac philoſophiæ propè bellum indixerat, ut eſt apud Pacuuium: ſic ut non rarò ſit inter eos intercesſiſſe iurgia uerìſimile. Hoc autem argumentum tractauit in tragœdia quadam, quæ non extat, Euripides, & fratres hos inter ſe diſputantes introduxit. Ac Zethus quidem fratrem increpabat, quòd ea quæ curanda eſſent maximè, negligeret: quæ minimè, curaret: ac, dum ſoli muſicæ daret operam, nec in curia, nec in bello poſſet inclareſcere, neq; familię curam gerere. Verba quidem ipſa, quantum licet ex Platone, qui ea mutilauit, colligere, hæc ferè fuerunt:

—— ψυχῆς ὧδε γενναίαν φύσιν
μειρακιώδει διαπρέπεις μορφώματι, &c.
—— οὔτ' ἂν δίκης
βουλαῖσι * προσθεῖ' ἂν ὀρθῶσαι λόγον,
οὔτ' εἰκὸς ἂν λάβοις, * οὔτ' ἄλλων ὕπερ
νεανικὸν βούλευμα βουλεύσαιο. —— ac deniq;,
—— ἀλλ' ἐμοὶ πιθοῦ,
παῦσαι δ' ἐλέγχων, πραγμάτων δ' εὐμουσίαν
ἄσκει * καὶ ὁπόθεν δόξεις φρονεῖν,
ἄλλοις τὰ κομψὰ ταῦτ' ἀφεὶς ληρήματα,
ἐξ ὧν κενοῖσιν ἐγκατοικήσεις δόμοις.

Hęc igitur ferè Zethi fuerunt: ad quæ uidetur Amphion ſic reſpondiſſe, ut fratrem

prorſus

prorſus errare oſtenderet: & contrariũ eius quod urgeret ille, uerũ eſſe declararet. Nũc ut ad Platonem ueniamus: apud eum Callicles eodẽ modo cum Socrate, quo Zethus cum fratre, agit: eumq́; inutile ætati ſuæ philoſophiæ ſtudium ſectari dicit, quo nec rem familiarem augere, nec ſeipſum in periculo defendere, nec alios iuuare poſsit: ac deniq́; ipſa Euripidis uerba, ſed, ut dixi, lacerata contra eum profert. Quibus auditis Socrates incipit eum ſuo more refutare, ſuamq́; uitæ rationem magis eſſe, quàm alterã, probandam docere: nec tam alicui, ne quid iniuſtè patiatur, quàm ne quid agat, cauẽdum eſſe. Quæ cum ex parte perfeciſſet, & ad reliqua pergeret, ait interim ſe Amphionis dictum Callicli reddere ſtudere: atq; ut Amphion fratrẽ, ita ſe, Calliclẽ errare, uelle oſtẽdere. Itaque poſt etiam audet dicere, ſe cum paucis ciuibus artẽ ciuilẽ tractare, ac remp. uerè gerere. Quid igitur ſit Amphionis dictum, patet.

Plautinum carmen illuſtratum.
Cap. 28.

DVm Pœnũ iubet apud Plautum ſeruus, amiſsionem filiarum duarum ſimulare: atq; ille ſimulationis eius tam egregium dat ſpecimen, ut nihil uideatur fingi poſſe uerius: ſubijcit Milphio,

—— heu hercle mortalem catum,
Malum crudumq́; & callidum atq; ſubdolum.
Vt afflet, quo illud geſtu faciat facilius.
qui uerſus poſtremus, ut credo, nō ab omnibus intelligitur. mihi certè aliquādiu obſcurus fuit. Nā uerbū *afflet*, quod à Flo quiuis meritò prima fronte deduceret, nō tamē inde, ſed à Fleo proficiſcitur. Etenim Pœnus heic recordatione filiarum, quas uerè amiſerat, in ueras lacrymas prorumpit: id quod cum Milphio per nequitiā putat ac dolum facere, quo facilius hoc geſtu, quod uellet, perſuaderet. Similiter in Perſa Toxilus, æquè nequam ſeruus, cum paraſiti filiam pro peregrina uult lenoni uendi, ad patrem ait.
Sed longè ab Athenis eſſe ſe gnatam autumet,
Et ut affleat, cum ea memoret.

Sed illic tantum ſimulabatur dolor, heic uerus dolor ueras elicit lacrymas: adeoq́ filias ſuas Hanno, quas per ſimulationē iuſſus erat in libertatem uindicare, uerè ſuas deprehenſas uerè uindicat. Hæc ſi quis omnibus, quia ſibi fuerāt, arbitratur nota, ne hęc ſibi ſcripta credat, ſed rudioribus: & ut alios quod ipſe ſciat, neſcire: ita uiciſsim ſcire, quod ipſe neſciat, alios ſciat, ac nos interim utilitati communi promiſcuam ſinat operam dare.

Euripidis Heraclidæ caſtigatæ.
Cap.29.

IOlaus Euripidis, poſtquã intellexit prœlij tempus non longè abeſſe, iuuenili quadam audacia, ſeu diuino potius inſtinctu, ſibi quoq; ad bellũ eundũ cenſet, ne ipſius inter ceteros opera deſideretur. Ait ergo,

ἀλλ' εἶμ' ἐρήμους δεσπότας τοὐμὸν μέρος.

qui uerſus cũ manifeſtè corruptus ſit(quorſum enim deſerti domini, quib. integri prę ſtò erãt exercitus?) ita uidetũ cõmodè poſſe corrigi, ſi pro ἐρήμους δεσπότας, legas ἀρήξων δεσπόταις, heris opem laturus, quantum in me erit. Quin etiam qui ſequitur eiuſdem uerſus,

καὶ μὴ μεταχεῖν γ' ἀλκίμου μάχης φίλοις:

rectius fortè ſe habebit, ſi pro μὴ μετασχεῖν legatur συμμετασχεῖν, Nam qui proximè præcedit uerſus,

ἥκιστα πρὸς σοῦ. μῶρον ἦν εἰπεῖν ἔπος,

cum ſit ab alijs laborioſiſsimè ſimul & ineptiſsimè expoſitus, facillimum habebit ſenſum, ſi diſtinctionis tollatũ nota. Hoc enim ſignificat,

Minimè decebat ſtulta te uerba eloqui:

ut uerſum uerſu reddamus. Quod autẽ proximè ſequitur carmen, alibi eſt emendatum. Deniq; quæ paulo pòſt habentur,

Εὐρυσθέα σοι τόνδ' ἄγοντες ἥκομεν,

ἄελπτον

ἄελπτον ὄψιν, τῶν δὲ τ᾽ οὐχ ἥκιστον τυχεῖν.
uerba ſunt Nuncij, Euryſtheum in prœlio captum ad Alcmenam adducentis, ſed ad finem ſubobſcura, nec non corrupta: tamen quæ facilè reſtitui poſsint, ſi pro τῶνδε modò τῶδε legatur, ut ſit hic ſenſus: Adducimus ad te Euryſtheum, quod ſpectaculum tu minimè expectaras: quemadmodũ nec hic ſperarat futurum, ut in tale incideret infortuniũ. Itaq; τὸ ἄελπτον ad utrunq; refero. ac probè conueniunt huic expoſitioni, quæ ſubiunguntur:

οὐ γάρ ποτ᾽ ηὔχει χεῖρας ἵξεσθαι σέθεν, &c.

Eos igitur, qui corrupta illa uerba de Alcmenæ felicitate præſenti, quæ nunquam ſperata fuerat, exponunt, aliò relegandos exiſtimo.

Aliquot Horatij loca reſtituta.
Cap. 30.

ODa 35. lib. primo ſic deſinit, *ò utinam noua.*

Incude diffingas recuſum in
Maſſagetas Arabasq; ferrum.

Quo in loco cùm *diffingas* quibuſdã non ſatis placuiſſet, quòd id diſſolutionẽ ac demolitionẽ ſignificaret: ex ingenio idipſum in Diſtringas commutarunt. Quã quidem coniecturam, ut illorum de Mureto uerbis utar, magnopere probo: eisq; ut ignoſcat, uehemen-

uehemēter ab omnibus ſtudioſis peto, qui locum perſpicuè corruptū ita reſtituerunt, ut eorum diuinatio, niſi nobis libri calamo exarati ſubueniſſent, pro uera ſcriptura haberi poſsit. Verùm ego lectionem ex antiquiſsimo codice erutam ſequor, quæ habet Defigas. nam hanc nullo modo reijci poſſe arbitror. Iam oda quinta lib. tertij, legitur de Regulo,

Hoc cauerat mens prouida Reguli
Diſſentientis conditionibus
Fœdis, & exemplo trahentis
Perniciem ueniens in æuum;

Qui locus quamuis prima fronte ſatis apertus uideatur, ambiguam tamen habet uocē *trahētis*: quæ niſi aliter legatur, ſenſum habere commodum non poteſt. Nec enim ad Regulum refertur, ut & interpretes omnes non difficulter animaduertunt. ijdem tamen huius loci interpretationem tot paraphraſibus inuoluunt, ut eos, quid de hoc *trahentis* facerent, dubitaſſe pateat. Sic enim aiunt ferè: Dicebat illam redemtionem captiuorum re & exemplo turpem fore: perniciem hinc proceſſurā in poſterum tempus, ſi tale deduceretur exemplum. hortabatur, ne periculoſam imitationem exempli in poſterum proderent: & ſimilia. Quid autem eſt aliud id, quod Galli prouerbio dicunt,

Circum

Circum baculum currere: ſi hoc nõ eſt? Vt porrò rem totam uno uerbo abſoluamus, puto legendũ non *exemplo trahentis*, ſed Exemplo trahenti. Rectè etenim dicitur exemplum aliquod perniciem ſecum trahere, cuius eſt imitatio pernicioſa. Deniq; oda 24. ait idem Horatius,

Si quæret pater urbium
Subſcribi ſtatuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam
Clarus pòſt genitis.

Quorum uerborum ut ſenſus perſpicuus eſt, ita lectio non æquè uera. melius enim habet antiquus codex, Carus pòſt genitis. quo quidem in omine deſinendum cenſemus.

τῷ θεῷ δόξα διὰ πάντων.

F I N I S.

IN PHILOLOGIAM AD THEODORICVM FRATREM SAPphicum carmen

GVLIELMI CANTERI.

Maximi rerum Iouis alma proles,
Muſa, quæ uatum uarijs refercis
Cantibus mentes, & amena fari
Carmina donas:
Quæ Caballini laticis capaces
Proluis largis gremijs alumnos,
Atq; ſublatos calamis furoris
Tollis in aſtra:
Da tuas dulci reſonare laudes
Molliter plectro, duplicesq; gnatas,
Choniam & Graiam, pariter canoro
Dicere uerſu.
Si nimis debent gemino parenti
Liberi, quorum, uelut omnis ætas,
Munere iſtius ſemel occuparunt
Luminis oras:
Quanta te dudum, Dea, quæ nouale
Pectus informas, tenerosq; ſacræ
Spiritus auræ, poterit manere
Debita merces.
Vtq; non iuſtæ modo, Diua, grates,
Propriæ uerò referantur à me
Maximis olim meritis, & omni
Tempore claris:

Carmen

Carmen exilis genij benignam
Sume feturam, preciumq́, ſi uis,
Muneri paruo (ſcio) uerum amico
Dicere perge.
Inter à cunctis memoranda dona,
Quæ Deus, ſummi moderator orbis,
Libera quondam, facili manuq́
Sæpe profudit:
Filiæ Muſæ celebris decoræ,
Litteræ primum, niſi fallit uſq́
Omnium uox una, locum perennem
Iure merentur.
At ſemel nullam, populi celebrem
Vocibus, famam uolucrem perire
Dixit Aſcræus, quòd & ipſa quoddam
Numen haberet.
Litteræ primos hominum nepotes,
Barbaros, duros, rapidos, agreſtes,
Moribus cultos potuêre blandis
Reddere mites.
Litteræ cædes hominum fugarunt
Mutuas, turpesq́ ſodalitates,
Et genus uitæ miſeræ ferinum,
Montiuagumq́.
Litteræ muris docuêre primùm
Oppida ambire, & recitare leges
Ciuibus iuſtas, neq́ comparare
Sacra profanis.

Cumq́

Cumq; iampridem ferus imperaret
Grex uiris, illi ratione culta
Litteris, demum genus omne mutum
Edomuêre.
Deniq; ut poſſent homines id eſſe,
Quod uocabantur, geminum decorem
Litteræ, mores peperêre & artes,
Compare nixu.
Hæ iuuentutem decorant amenam,
Clarus Arpinas ait: hæ ſenectam
Vſq; delectant, ſimul annuentem
Omnia cunctis.
Rebus anguſtis, trepidis aſylum
Exhibent: uento pariter ſecundo
Splendidũ nunquam decus & paratũ ad-
Ferre morantur.
Seu libet celſi petere aſtra cæli,
Seu iuuat fundum penetrare terræ,
Siue quàm latè patet huius orbis
Sphæra, meare:
Vna te Muſæ ſoboles beata
Cuncta perducet loca: ſola cauſſas,
Sola naturam, celeresq; motus
Ritè docebit.
Sunt, quibus luſus lepidi, iociq;,
Vel placet ceruos uolucres, aprosúe
Punicæ toruos auidè timore
Cingere pennæ.
Caſtniam multi uenerantur unam,

Siue quem deſerta Ariadna cepit,
Siue quem clamor grauis, & cruenta
Prælia paſcunt.
Quid metallorum memorem beatos,
Credo, cuſtodes, inopes opimos,
Queis nihil uicina magis bonorum,
Quàm ſua deſunt.
At mihi fructum breuis huius æui
Continent omnem comites fideles,
Litteræ: quarum ſtudio quid extat
Suauius uſquam?
His ego incumbens animoſus, harum
Fotus amplexu, gremioq́, uel quæ
Gnatus Hyſtaſpis ualide tenebat,
Regna negarim.
Quin iocus, ludus ualeat, leporq́,
Ipſe Candæus, Melinæa diua,
Quem iuuant thyrſis hederæ reuinctæ,
Cornigeræq́.
Me uelit ducente manu prehenſum
Muſa, dux uitæ, ſcopus & laborum,
Docta perfuſum duplici liquore
Mittere in antra:
Fons ubi prodens uirides lapillos
Funditus, dudum celebrata multis,
Semper & cunctis celebranda, ſacra
Flamina mittit:
Vnde correpti celeri meatu
Aſtra per cæluḿq́ patens reducunt

Laurei

Laureo clarum caput atq; bina
Tempora ſerto.
Tu quoq;, ô frater, geminis ocellis
Carior, mecum trepidans eundem
Limitem ſectare, & humo ſimul te
Tollere cura.
Sic Deus, magno reſidens Olympo,
Noſtra conuertat ſtudia & labores
In ſuum primum decus, ac bonorum
Vtilitatem.

F I N I S.

IN THEOCRATOREM Choliambus.

Quis te deorum, inſane, mente priuauit,
Vt pertinaci dona ſperneres Muſæ
Animo, dearum diua quæ tenet ſedes,
Ac laude dignos eripit uiros ſatis.
Quis nunc Achillem noſceret, quis Aeneã:
Ni Mantuanus hunc, & illum Athenæus
Ad aſtra uerſu detuliſſet æterno
Poeta, lymphæ uterq; notus Aſcrææ.
At te perennis occulet perobſcurum
Caligo, ne uirûm per ora labaris.
Quis te deorum, inſane, mente priuauit,
Vt tam benigna dona ſperneres Muſæ?

INDEX

INDEX SCRIPTORVM, QVORVM LOCI ALIquot in his Libris explicantur, emendantur, uel augentur.

ACRONIS, fol. 115 & ſeq. 293
AESCHYLI 35. 141. 305
AGELLII 89 & ſeq. 197
AMMIANI 251
ANACREONTIS. 108. 250
ANTIPATRI 82
ANTONINI Imp. 327. 328
APOLLODORI 212
APOLLONII 258. 259
ARISTIDIS 25. 111. 112. 220. 271. 306 334
ARISTOPHANIS. 221. 241. 242. 295. 334
ARNOBII 37
ARTEMIDORI 264
ATHENAEI 144. & ſeq. 193 & ſeq. 217. 305. 355
AVSONII 276
CALLIMACHI 228
CATVLLI 187. 227. 2-6. 286. 356
CICERONIS 33. 44. 49. 56. 86. 87. 120. 213. 253. 267. 282. 298. 299. 316. 333. 343. 347. 357
CLAVDIANI 43. 83
DIODORI Siculi 201. 281. 337
ENNII 141
EPIMENIDIS 58
EVRIPIDIS 45 & ſeq. 55. 62. 93. 94. 118. 131. 184. 204. 221. 222. 224. 236. 238. 250. 255. 256. 268, 277. 278. 282. 291. 302. 313. 317. 319. 321. 323. 325. 330. 344. 360. 363
FESTI Pomp. 27. 143. 202. 235. 294
HELIODORI 125
HESIODI 190. 225. 226. 259. 275. 350
HOMERI 229. 334. 350
HORATII 84. 102. 104. 115. 133. 187. 188. 199. 206 & ſeq. 223. 237. 249. 256. 270. 292. 301. 303. 326. 337. 365
IVVENALIS 83. 137. 187. 209

LVCANI 43.127 & ſeq.
LVCRETII 84.200. 208
LYCOPHRONIS. 308
MARTIALIS 48.49. 83.317
MVSAEI 51
NICANDRI 161
NONII MARC. 132. 197.272 & ſeq. 294
ORPHEI 85.248
OVIDII 42.48.49.82. 104.187
PAVSANIAE 288
PERSII 304.335.352
PHILODEMI 234
PINDARI 259.280
PLATONIS 264.300. 338.359
PLAVTI 83.92 124. 140.196.203.214 218. & ſeq.233.276.319.321. 329.339.349.355.362
PLINII 143
PLVTARCHI 25.80. 110.198.213.231.232.252. 269.280.297.336.357
POLLVCIS 269.353
PORPHYRIONIS. 1:4 & ſeq.188
PROPERTII 43. 83. 109.192.199.233.265. 284.286.301.315
QVINTI CALAB. 38. & ſeq. 259
SAPPHONIS 234. 314
SENECAE PHILOSOPHI 359
SERVII HONORATI 293 294
SIBYLLAE 30.258. 266
SILII ITAL. 43
SIMONIDIS 80
SOLINI 143
SOLONIS 252
SOPHOCLIS 131.236. 256.278.341
SPHAERI 138
STATII PAPIN. 42. 53.83.95 & ſeq.223
STEPHANI 25
TERENTII 229.230. 342
TERTVLLIANI. 209.240
THEOCRITI 65 & ſeq. 105. 106. 135. 136. 214.258.259.320
THVCYDIDIS 348
TIBVLLI 42.63.83. 192.215.216.314.321
TRYPHIODORI 315
TZETZIS 24.100
VALER. FLACCI 43
VARRONIS 60.278

VIRGI-

VIRGILII 41.63.82.102.104.187.200.233.265.296.324.351

XENOPHONTIS. 54.55.89.139.334.352

FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN HIS LIBRIS MEmorabilium breuis, ſed accuratus INDEX.

A

Acheloi cornu fractũ. 265
Aeolum dialectus 27
Aeſchyli inconſtantia 122
Aeſchyli Promethei tres 354
τὸ Aliter uſus 48
Amphionis dictum 361
Aræ Theocriti argumentum 66. interpretatio. ibid. expoſitio 67
Arceſilaus 309
Archigalli 209
τὸ Αργὸς notio 58
Artemidori epitaphium 81
Athenienſiũ magnanimitas. 331
Atrax 95
Aurati emẽdationes 30. 65. 109. 187. 195. 215. 258. 277. 296. 341

B

Bacides tres 213
Bertrandi cuiuſdam error. 101
Beſtius 210
Brimo 37
Brodæi emendatio 249
Brutus, Accij fabula 279
Budæi emendatio 226

C

Cadmi ſatio 35
Camerarij emendatio 218
Cato grammaticus 134
Cauponari bellum quid 141
Ceſellij expoſitio 101
Χαρίζεσθαι 314
Chriſtianorum crimina 239
Chriſtus Patribus apparuit. 31
Ciceronis de LL. ſcopus 31
Ciceronis memoriæ lapſus. 333
Clematij interitus 190
Comito 310
Coronarũ à ueterib. in conuiuijs uſurpatarum genera & cauſæ 144
Crinium poteſtas 224
Curioſitas notata 106
Cycni purpurei 249
Cyrſili interitus 332

D

Δὶ tollendum 255

Δύλεσθαι

Δηλεῖσθαι quid 104
Dictatoris imperium 86
Diludia quid 293
Doto 288

E

Ἤ τις ἢ οὐδεὶς 334
Ἐκ χειρὸς 333
Ἐλεῖν quid 323
Emendationis rectæ ſubſidia 34
Ennius Aeſchylum imitatus. 141
Ἠοῖαι Heſiodi 189
τοῦ εἰς uſus 257
Epimenidis uerſus 58
Eunoſti interitus 290
Euripidis Hippolyti duæ 353

F

Fabulæ binomines 353
Forſit 199

G

Gallicum prouerbium 365
Gallus fluuius 315
Gifanij emendatio 86. 121
Γιγνώσκω καλῶς 204
Gladiatorũ genera duo 208
Gloſſa in contextu poſita. 184
Gloſſa pro contextu poſita. 221.226
Gorgones tres 225
Græcæ fabulæ ſine perſonis conſcriptæ 339
Græcus uerſus diuinatus 322

H

Halophanta 202
Hebri interitus 289
Hecuba fit canis 67
Hercules expiatus 212
Homerus defenſus 263
Homerus Sibyllam imitatus. 266
Homeri laus maxima 264
Horatij operum antiquus ordo 135.
Hyperidis factum 217

I

Ibyci mors 51. ultio. ibid.
τοῦ Igitur uſus 233
Imperatoris officium 327
Ionis filij quatuor 268

L

Laconica reſp. optima 87
Lacrymarum cauſa duplex. 49
Lacydis hiſtoria 310
Laus ſine inuidia 198
Legum ortus 32
Leonis factum 267
Leucoſia 143
Lexica unde colligenda 132
Λόγον εἶναι 300
Lunæ motus duplex 61
Lycidæ interitus 332

Lycophron grammaticus. 309

M

Μὰ 185
Macrobij furtum 337
Manutij emendatio 213
Mendorum cauſa una 40. 221
Menedemus philoſophus 307
Mulierum lotio 49
Mureti emendatio 138
Myeni interitus 290

N

τῦ Nomen uſus 104

O

Odyſſeæ Homeri allegoria 261
Olla, oſculi genus 320
Omnia, pro Omina 41. & ſeq.
Onca Minerua 288
τῦ Ορνις uſus 301
ου omiſſum 24.100.313

P

Paridis uxores duæ 67
mors ibid.
Πέῤῥοχος 234
Phauorini Lexicon unde confectum 101
Philoctetes morſus 67. Troiam delatus ibid.
Phimus 337
Phormionis uictoria 348
Platonis erratum 354
Plautus Theocritū imitatus. 107.214. Latina uocat barbara 219
Πλεῖονες 220
Plutarchus Sophoclē imitatus 198
Πρέσβυς κύπριν 108
Poetarum curioſitas 107
τῦ Poſſum uſus 82
τῦ Poſtumus etymon 102
Prandium unde dictum 235
Proculus 102
Promethei ſolutiones duæ. 122
Proſerpinæ officium 223
Prouerbia expoſita
Αὐτόθεν κατάβαλε 118
Ορθὰν τὰν ναῦν 357
Prudentius Lucanum imitatus 128
Ptolemæi factum 305
Pyrrho 309

Q

Quinti librorum ſumma 38

R

Reges Lacedæmone duo 89
Rhodij nautæ dictum 358

S

Sa & Sos 324

Salſicia quid 117
Scaligeri F. emẽdationes 161
Scoliorum, quæ ueteres in conuiuijs canebant, ratio & exempla 179
Seri liberi qui 103
Sibyllarum defenſio 28
Somni impedimẽta 63. cauſæ ibid.
Sophoclis Aiaces duæ 354
τοῦ Σφέτερος uſus 259
Statius Aeſchylum imitatus. 142
Στίλλεσθαι 186
Stiblini audacia 318
Stratagema bellicum 347
Στύειν quid 241
Sulpitij expoſitio 101
Syntagma Canteri 352

T

Terentius Plautum imitatus. 343
Termentum 139
Teſſeræ ligneæ 270
Thericlea uaſa 281
Tragicorũ trium argumenta 244. & ſeq.
Transformationum Ouidij ſeries 70 & ſeq.
Tribuni ſublati 121. iterum creati. ibid.
Troia ter capta 68
Troianæ originis ratio 22
Troili mors 66. 100
Turnebi emendatio 88. 219
Tzetzis error 190

V

Vaciuum 124
Valerij emendatio 351
Veneficæ quomodo domandæ 224
Venero 320
Victorij opinio refutata 56
Vipera unde dicta 306
Viuis defodiendis panis datur 335
Vlyſſes bis natus 68
Vnguentorum à ueterib. in conuiuijs uſurpatorum genera 166

Z

Zethi ingenium 360 ad fratrem uerba. ibid.
Ζῶντ' ἀκρίναι 214

FINIS.

THEODORICI CANTERI AD GVLIELMVM fratrem cariſs.

Tetraſtichon.

Si tibi pro factis grates & Graia referret,
Et quæ terra ſuum de boue nomen habet:
Vtraq; te ciuem, frater, ſtudioſa uocaret.
Quid faciet, quæ te patria progenuit?

ERRATORVM CORrectio.

Fol.	Ver.	
24.	3	ἄθλον
30.	ult.	quod
55.	20	cenſeo
66.	ult.	ſerpente,
93.	3	ſum non ſtare
119.	14	ποτοῖσι
122.	15	tribuit:
130.	2	Pallas amat
137.	7	14
167.	7	μόρς
	28	ῥυπαίνοντι
169.	22	quinq; primæ ſyllabæ proximè ſequēti uerſui præponendæ ſunt.
191.	20	cenſuerunt.
194.	19	καὶ τιμᾶν
	20	τὶ μαντ'
202.	3	halet
234.	10	ὑπέροχοι
290.	27	Plutarchus ut.
291.	7	σιμέλης
296.	1	quæ modò
298.	8	Cleomenis
325.	12	τὸ
328.	5	ὁ ἰατρ.
360.	18	&,

Reliqua facile ſuo Marte lector corriget.

A01 1456793

BASILEAE
EXCVDEBAT [redacted] ANNO CIↃ. IↃ.
LXVI. MENSE
IVLIO.


ARION.
FATA VIAM INVENIVNT.
INVIA VIRTVTI NVLLA EST VIA.